DE RE AVLICA AD PHAVSINAM LIBRI DVO

PER

AVGVSTINVM

NIPHVM

MEDICEM

AVGV: NIPHI MEDICIS PHILOSOPHI SVESSANI DE RE AVLICA AD PHAVSINAM RHEAM LIBRI

PRAEFATIO.

SPECIOSISSIMAM Formam tuam Iucundiſſima PHAVSINA contemplatus admiratuſq; : qua inter puellas ita emicas : Veluti lucifer inter Stellas : morumq; inexplicabilem concinnitatem: qua ſic animus tuus pulcherrimus redditur : vt nihil amplius in eo deſiderari poſſit: præter immortalitatem: tanta erga te beneuolentia : tantoq; amore affectus ſum: vt eas ſilentio tranſire haud quaquam permiſerim Nam licet natura te ab incunabulis ad iſtã vſq; ætatem per omnes pulchritudinis ac venuſtatis numeros prouexerit abſolueritq;: vt facile non mediocrem locum inter formoſas tibi vendicaueris : animum quoq; ſingularibus dotibus ac virtutibus inſignierit: vt inter cœlicolas recipi iure merearis : id tamen efficire non potuit: vt ſempiterna eſſent tibi ac immortalia hæc bona. Enitemur itaq; nos ne tot corporis animiq; dotes cum corpore ſimul marceſcant ; atq; aboleantur: de re aulica ad te ſcribere: atq;

ſub tuo nomine publicare : vt non modo iucunda affabiliſq; principi cui obtemperas euadas : ſed vel numinibus immortalibus placita (quibus ſolis placendum eſt) efficiaris :lucraberis etiam ex hoc noſtro libello mores : qui aulicis puellis : prouectiſq; mulieribus : atq; matronis idonei ſunt : quos ſi ſeruaueris : mortem non obibis : tibiq; cum numinibus vita ſempiterna communis erit. Iuuenes inſuper: viri : ac adoleſcentes : aulicas ipſas virtutes: non ſimulate : non adulatorie : non ſcurriliter : neq; lenonice ex hoc tuo libello diſcere facile poterunt : nam liber prior de viro aulico : ſecundus vero de aulica muliere pertractabit. Nec ea quæ diſſerere propoſuimus : more licentioſorum aulicorum: ſed pro peripateticorum conſuetudine dicere decreuimus : ex quibus nihil niſi probum : ac ſanctum : tu cæteriq; omnes : qui eos legent : colligere poteritis. Exiſtimauimus vero huiuſmodi munere te ſolam dignam eſſe : primo quod mulier ſis : & quidem puella. Põpeius enim Columna Principum ſplendor Illuſtriſſimus in eo libello : quem Apologiam mulierum nuncupauit : adeo mihi mulierum præſtantiam perſuaſit : vt non modo noſtro libello te mulierem dignam putem : ſed vt mulier quam vir eſſe malim. Deinde propter tui corporis formam: quæ tanta eſt: vt nec Zeuſis pictor ille egregius cum Helenæ ſpẽ pingere decreuiſſet: apud Crotoniatas tot puellarum partes: vt vnam Helenæ effigiem exprimeret perquiſiuiſſet : ſola tua venuſtate inſpecta : ac perueſtigata excellentia: tum etiam ob tui animi ſplẽdorem: morumq; elegantiam quæ tanta eſt: vt non humano ſed diuino ſemine nata cenſearis : poſtremo gratiam ob ipſam : qua in cunctis gratioſa videris : non aliter quã aurora : quæ mari : fluminibus : cæteriſq; elemẽtis : ſtirpibus : mutis animalibus : vniuerſiſq; hominibus grata periucunda atq; lucidiſſima apparet. hanc ipſam ob cauſam : non phoebam (quod nomen tibi luſtrico die fuit indutũ) ſed P H A V S I N AM

hoc eſt auroram me tuo exiſtente phœbo nuncupa-
re te dignã putaui. Es enim inter puellas aurora: quæ
formæ excellentia & morum compoſitione foues ac
omnes illuſtras. Es etiam cognomine Rhea: quod
facilis: blanda: ac iucunda ſis. Genere quoq; ac pa-
tria clariſſima: nam Nola & ſi Maroni poetæ præ-
clariſſimo fuerit olim difficilis: mihi autem Philoſo-
pho iocundiſſima. atq; gratiſſima eſt. Sed cũ minima
laus ex parentibus patriaq; ſit: bona fronte laudes
tuas inumeras: quæ ex ipſis colligi poſſent omitti-
mus De re autem aulica antiqui ſcriptores pauca ad-
modum tradiderunt: & non niſi Ariſtoteles omnium
philoſophorũ lumen: qui cum ageret de affabilitate:
& vrbanitate: rem aulicam omnem complexus eſt.
nam vt poſterius exploratum habebis: res ipſa auli-
ca has ſolas affabilitatem videlicet: ac vrbanitatem
complectitur: ſed ad aulam principis accomodatas:
nam cum illinc abſoluuntur: morales virtutes nuncu
pantur: veluti cum homo ad filios refertur: patris
nomen ſibi comparat: cum vero a filiorum relatio-
ne abducitur: hominis nomen habet. Scripſit noſtris
temporibus de re aulica Diomedes Carapha Mada-
lonenſis Comes ad Ferdinandum Regem primum.
Qui licet non nihil boni elaborauerit: rem tamen au-
licam non explicauit. inſuper & alii recentiores: Sed
cum propoſuiſſent dicere de viro aulico: aulicaq; ipſa
muliere: de his de quibus dicere propoſuerunt: ni-
hil fere ſcripſerunt: ſed plurima de his: quæ non in-
tendebant. Qua ratione euenit: vt res hæc non fue-
rit mihi facilis: niſi quantum tu mihi P H A V-
S I N A ingenium facis: atq; exacuis. Nec mirẽ-
tur: qui hunc legerint librum. Philoſophum ſenem
ſexaginarium & pene capularem eum puellæ dicaſ-
ſe: ſubq; eius nomine publicaſſe: nam qui de ra-
nis muribuſq; ſcripſerunt: ranas mureſq; laudauerunt.
Qui vero de cullice: culicibus: Qui de pulice: pulici-
bus: qui de muſcis: muſcis: q de laudibus podagræ: po-
dagris libellos adſcripſerunt: nec ob aliud hæc fecerũt:

niſi vt ingenium experirentur: cũctiſq; illius vires pa-
tefacerent. non ergo mirari debent: ſi vni tot laudi-
bus puellæ inſigni ego ſenex hunc libellum dicaue-
rim: cui non vt ingenium experirer: vireſq; illius pa-
tefacerem: ſed vt eius fulgore ipſum exacuerem: atq;
ad ſidera extollerem: dedicauerim. Nemo enim eſ-
ſet tam grauis: tamq; ſeuerus philoſophus: & ache-
ruſius: Qui numen tantum: tantamq; excellentiam
cernens: atq; experiens: non libros modo: ſed vel
vitam tibi immolaret. Compulerunt me prætereca ad
rem hanc ſcribendam Ferdinandus Primus Sanſeue-
rinus: atq; Iſabella Villamarina Salernitanorum Prin-
cipes Illuſtriſſimi: quibus vitam omnem debeo. nã
cum religioſiſſimi ſint: atq; vitiorum omnium ho-
ſtes acerrimi: intelligere exoptant res aulicas: & quæ:
quoue vſu complectendæ ſint: ne harum inſcitia:
eorum aula malis moribus imbueretur.

DE VIRO AVLICO LIBER PRIMVS AD. PHAVSINAM.

De Aula: Palatio: Curia atq; Atrio: Cap primum.

CVM nobis de re aulica ſit diſſerendum: opus eſt primo: vt aulam ipſam explicemus: a qua res aulica nomenclaturam accepit. Sic enim & ordinem peripaticum: obſeruabimus (Cum Ariſtoteles ipſe dicat ex nominum ignoratione euenire plerunq; in dicendo paralogiſmũ) Et Ciceronem Dialectice non ignarum ſectabimur: qui eo libro: quem de officiis inſcripſit: præcipit eſſe incipiẽdum a definitione: vt intelligatur quid ſit id de quo ſermo eſt. Aulam itaq; nuncupari animaduerto primo locum: qui perflatum habeat. Nam hoc nomine ſemper apud Homerum Hypæthra ideſt ſubdialia intelliguntur: vbi eſſet Hercæi Iouis ara. Verum aulas nunc pro regiis vſurpamus: ꝙ ante ſe loca habeãt ſubdialia & ampla. Hodie a noſtris Aula pars domus eſt: quæ vulgo ſala: ſeu atrium dicitur. Nam αυλη græce: latine atrium interpretatur: vel caula: quæ ſtabulum eſt: in quo oues conſiſtunt. vſurpatur et a Seneca aula pro domo principis: & ab hac vſurpatione nos de re aulica agimus. hoc eſt de re: quæ ad aulam principis referenda eſt. Et licet palatium multis modis intelligi poſſit: id et pro aula principis accipimus. Nam Romæ palatinus mons eſt: ſuper quo Roma primo ædificata eſt: & in eo Reges primo: deinde Cõſules: poſtea Imperatores

maiore ex parte ſedem habuerunt:& ob hanc cauſam pa latium domũ principis vocant. vnde plinius libro naturalis hiſtoriæ.36.Cap.v.ſimiliter palatinas domos Cæſarũ repleuere probatiſſimis ſignis Craterus cum Pythodoro & reliqua.& libro .37.Cap.pmo. etiá pro domo primaria ſeu templo vſurpauit: cum dixerit: in palatina apollinis æde vnam. Hinc hiſpani hodie palatinum hominem vocant facetum: qui apud principem vrbanus eſt. Curia vero neſcio qua ratione pro domo principis vſurpata eſt Nam curiarum duo romæ genera erant:& locus: vbi ſenatus rem publicam curabat:& vbi ſacrorum cura tractabatur: Quarũ nulla pro domo principis vſurpari poteſt: ꝙ.n.pontificis maximi:atq; minorum pontificum:& patrum conſcriptorum conuentus curia dicatur: non eſt ab ratione:quoniam in ea & ſacrorum: & publicarum rerum cura tractatur.ſed qua ratione pro domo principis intelligatur:ignoro. Apud omnes tamen hodie ſic intelligitur: Et Pius Põtifex Maximus in eo libro quẽ de infelicitate curialiũ ſcripſit:domũ principis curiá familiareſq; principis curiales nuncupauit. Atriũ vero licet non nulli pro domo principis vniuerſa vſurpent: tamen authore Põpeio prima pars domus eſt:quæ mediá areá continet: ex qua collecta ex omni tecto pluuia deſcendit:& in qua priſci (vt Cato inquit) aperto hoſtio epulabantur:vbi ẽt vaſa aurea & argentea ſeruabantur: aulæa: ſtatuæ: tabellæ:Stẽmata præterea cũ imaginibus familiæ.vnde Ouidius:Perlege diſpoſitas generoſa per atria cæras: & Iuuenalis: Tota licet veteres exornẽt vndiq; cæræ atria:nobilitas prima eſt:atq; vnica virtus. Ab atrio volunt Atriẽſem aulicum nuncupari: quod falſũ eſt. Nam Cicero in paradoxis:ſeruos:qui cuſtodiunt aulæa atrii:honoratiores ſeruos vult eſſe appellandos:nõ aulicos. Ex his colligendũ arbitror rem aulicam: remq; palatinam pro eodem eſſe intelligendam: veluti palatinum & aulicum: vt poſtea apertum fiet.

De Circunſtantiis:quibus actiones Aulicæ intelligi poſſunt a virtute proficiſci. Cap. II

SVpponamus poſt hæc actiones aulicas: quæcunq; ſint:poſſe et a virtute proficiſci:& a vitio.hoc autem ſupponere oportet ex eo:quoniam nonnullæ actiones vel paſſiones:ſunt: quæ ex ipſarũ nomine malitiã cõcernunt:vt inuidia: adulteriũ: furtũ: homicidiũ: odiũ: & cætera id genus. Hæc enim omnia ex ſui ratione mala ſunt: nec ſolum ſi exceſſerint: vel defecerint:ſed quo vis modo ſe habuerint.Hanc ob cauſam nemo circa hæc recte ſe habere poteſt: nam quo vis modo ipſa agat: (vt Ariſtoteles probauit) delinquet:nonnullæ vero actiones ſunt:quæ ex ipſarum nomine:& ratione bonitatem complectuntur:vt Virginitas:Sanctitas:& id genus. Nemo.n. circa has (vt Plato ſcribit) male:& bene ſe habere poteſt: ſed bene dumtaxat.ſunt & aliæ actiones:quæ ſiue proficiſcantur a natura: ſiue ab affectibus: poſſunt eſſe bonæ: & malæ:bonæ quidem: ſi circũſtantiis quibuſdã ad mediũ reducantur.malæ vero:ſi ad alterutrũ extremũ.huius profecto generis aulicæ actiões ſunt:ſiue i verbis: ſiue in motionibus:geſtibuſq; verſentur.Circunſtantiæ vero (vt Ariſtoteles philoſophorum princeps explicauit) ſunt: quis:quæ ad perſonam attinet:quæ eſt principale agens. non enim parui refert num Plato ſuam vxorem amet:an ſocrates adulter. Quid:ſcilicet agat: quæ ad genus actus reſpicit.Multum enim diſtat:num quis comedat ad tollẽdam famem: vel actu venereo citetur ad remouendam libidinẽ. Circa quid:quæ:materiam vel obiectum inſpicit.in quo.ſ. tempore vel loco. Quo videlicet inſtrumento;cuius gratia:ſalutis:an voluptatis.Et quo modo .ſ. intenſe:an remiſſe.aut leuiter:an vehementer.Actiones igitur aulicæ cum ex ſuo nomine nec malitiam: nec bonitatem concernant: bonæ euadent: ſi circunſtantiæ omnes ſeruentur: quibus actus humani ad medium reduci poſſunt: vitioſæ vero: ac improbæ erunt ſi omnibus:vel aliquibus circunſtantiis carebunt ex eis: quibus humanæ

actiones rediguntur in mediocritatem:qua ratione ſit:vt non quæcunq; perſona:nec quicunq; actus:nec quicunq; locus ; vel tempus : conueniant in aulicis ipſis actionibus. Nec inſuper quicunq; finis aulicarum actionum eſt nec apud quemcũq; hominem ille ſunt laudabiles.Quia itaq; actiões aulicæ poſſunt eſſe bonæ atq; ꝓbæ:malæ atq; improbæ:eas aliquando a virtute proficiſci:aliquãdo vero a vitio putandum eſt. quare de aulica ipſa virtute narrandæ poſitiones ſunt : primo more peripateticorum: deinde refutandæ: potiſſimum quæ veritati non conſonant: demum quid ſit aſſerendum: ſubiungemus.

Quæ Terentius de Aulico. Cap iii.

TErentius itaq; Poeta Comicus Præſtantiſſimus: (vt non nulli autumant) in Eunucho:his verbis deſcripſit aulicum: quibus dicit: id rurſum ſi negant:laudo: id quoq; negat quis: nego : ait: aio. poſtremo imperaui egomet mihi omnia aſſentiri: & alibi: magnas vero agere gratias thais mihi : Gn: ingentes : & reliqua: Ita vt velit eum eſſe aulicum: qui aſſentator dicitur aut adulator.De quo & Ariſtoteles philoſophorum facile princeps in politicis inquit : quod principibus olim methonienſibus duo ſigillatim paraſiti ideſt aulici fuerint : ducibus vero exercitus vnus: & reliqua : Homerus ét Podem quendam hectoris aulicum: atq; aſſeclam introducit. huius generis legitur apud Cornelium fuiſſe Autoſitum: apud vero Ebulum Cacoſitum: apud Straticidem Oligoſitum:& Oecoſitum: atq; Siſtochorum.oẽs enim hi cum eſſent aſſentatores adulatoreſq; apud ſuos principes vt Aulici habebantur.Apud gallos ét quoſdã: qui ſontiates dicuntur : Rex habet quoſdam ſecum adulatores: qui aulici putantur; apud græcos euolimi appellati.quoniam hi vna ſemper regi adhærent:ſectantur quocunq; ierit: idemq; faciunt: ſiue rex rideat: ſiue lugeat: ſiue quouis alio capiatur animi motu . deniq; ſi occubat: pariter occubant. Nec ab ratione aulicus aſſentator eſſe

videtu

videtur:nam cum finis aulici ſit principem recreare poſt longos labores:qui multitudine negotiorum emerſerunt eumq; oblectare : atq; iucundum efficere : Cũq; hæc facile efficiat aſſentator (eſt enim aſſentator in verbis:actionibuſq; quibus adulatur: ac aſſentit: (vt Ariſtoteles probauit Rhetoricorum primo) iucundiſſimus : fit vt nullus niſi aſſentator aulicus eſſe poſſit : a quo princeps recreetur. nihil enim eſt : quo principis animus feſſus recreari:relaxariq; poſſit magis:q̃ iucunditate ipſa. Hac ratione apud Demetrium peripateticum in prouerbio habetur.Principum aulam eſſe aſſentationum : atq; adulationum gymnaſium. Quod ideo verum eſſe exiſtimari poteſt:quoniam principum aulici non ſunt:niſi aſſentatores:atq; adulatores ipſi:qui paraſiti decebantur:q; eadẽ menſa:cum regibus recũberent:atq; conuiuerent.

Refutatio: qua demoſtratur vim: habitumq; aulicum in adulatore:non modo vitium eſſe: ſed peſtem. Cap.IIII.

SEd ſi ita eſſet (vt Terentio adſcribunt) vis ipſa aulica : habituſq; quo quis ſermones : atq; aulicas ipſas actiones apud principem exercuerit:non vitiũ modo:ſed ſæuiſſima peſtis eſſe videbitur.Nam.(vt Democritus philoſophus clariſſimus teſtatur) adulatio:atq; aſſentatio vitia ſunt animi anguſti: viri mendacis: ignaui: ſeruilis:futilis:humilis:abiecti.quippe cum emanent a timore.blandiuntur ſiquidem adulatores:atq; aſſentatores eis quorum vita ignaua eſt:vanitatis ac mendacii plena. hi placendi ſtudio omnia laudant: vel quæ minus penitiore animo probant:nihil refellere audent:nunq̃ cuiquã aduerſantur:nemini moleſti ſunt. Mendatia veris cõcinnant:ſimulando quoq;:atq; diſſimulando ſemper occultant : quos quidem Aegeſilaus optimus ille lacedæmoniorum Rex non ſecus aſpernendos: inſectandoſq; eſſe dicebat:ac propriæ vitæ inſidiatores . Iſocrates vir ſapiẽtia:elequentia:peritiſſimus affirmat: nullam principibus peſtem adulatore perniciosiorem eſſe : regemq; ſuum

Nicoclem monet: vt omnes illos euitet: ac caueat: qui: quæcũq; fecerit aut dixerit: laudant: illis autem auſcultet atq; obtemperet: qui eum monere audent:& errata placide ac ſine cõtumelia caſtigare. hi enim amici ſunt: vereq; diligunt: illi autem aſſentatores: atq; adulatores: ac amici ſimulati: qui mendacii præmium expectant. ob hanc cauſam Antigonus aſſentatores ipſos: atq; adulatores vbiq; inſectabatur: ſummoq; odio proſequebatur: ꝙ videlicet corrumpant optimos mores: nam ſemper mentiuntur: & vitia pro virtutibus efferunt. virorũq; laudẽ: quæ fomes: ac præmium virtutis eſſe videtur: omni ex parte labefactant. pulcherrimã: iuſtiſſimãq; fortitudinis mercedem auferunt: quam quis veram eſſe credat? aut ſtudioſe affectabit? cum cernat improbos laudari:& virtute præditos viros: debitis laudis præmiis fraudari: veritatemq; mendatiis obſcurari: hoc vero mihi magis admirandum eſſe videtur: ꝙ hi maxime adulatores deligant: quibus illi manifeſtius mentiuntur. age: quis ſe ipſum adeo ignorat: vel ſui ipſius adeo oblitus eſt: vt cum ignauiſſimus ſit: illos æquo animo audiat, qui eum fortiſſimum prædicent: admirentur: & cunctis aliis præferant: quo enim animo perpeti poteſt quiſpiam ſe Achillem vocari: cum Therſites manifeſte ſit: Non ne ſe irrideri: & ludibrio haberi cognoſcit. ille: qui cum pauper:& inops ſit: ſe beatum: ac locupletem vocari audit: ithacenſis mẽdicus: quem Homerus inducit: nihil roboris habentem præter linguæ procacitatem: gaudebit ſe potentia Agamennoni: fortitudine vero Aiaci æquari: Non ne etiam mulier illa leuiſſima: ac maxime temeraria habenda eſt: quæ cum deformis: ac turpiſſima ſit: aſpectuq; fœdiſſima: ab amatoribus: qui illius gratiam blandiendo: ac mẽtiendo inire cupiunt: pulcherrima dici gaudeat: atq; veluti altera Helena: vel Hermione eius filia cũctis aliis mulieribus forma præfærri glorietur: propter hanc cauſam Plato adulatores: aſſentatoreſq; ipſos tanq̃ peſtem perannuallyioſiſſimam a rebus publicis arcet: & Ariſtoteles non ſolum ab ipſis principum aulis: ſed a ciuitatibus: que rectis legibus gubernantur: excludit.

Excellendi adulatores

Adulatio perniciosi[illegible]

Quod aulicus omni ex parte ſine adulatio-nibus: aſſentationibuſq́ꝫ officium ſuum perficere non poſſit.
Cap. V.

SEd videamus An adulator: aſſentatorq́ꝫ (vt Plato: atq́ꝫ Ariſtoteles arbitrātur) omni ratione ab aula prin pis ſit expellēdus: fugandusq́ꝫ. An non nihil aulicæ rationis adulator obtineat: Reges ſummi: adulatores omni ratione fugarunt: Aegeſilaus enim lacedæmoniorum Rex lege ſanciuit adulatores non ſecus inſectandos eſſe: ac propriæ vitæ inſidiatores. Darius etiā perſarum Rex Timogaram: qui in omnibus ſibi indulſerat: decreto publico morte multauit. Alii non paruæ authoritatis viri non modo non fugarunt: ſed ad officia aulica admiſerūt vt Philippus Alexandri regis pater Cliſophum. Alexander ipſe Neciſiam. Chariſophū Dyoniſius ſyracuſanus: Et alii ſapientia: & authoritate eximii Reges: alios q̄ plurimos. Nec ab re: nā Aulicus nemo rite eſſe poteſt: quin principi iucundus appareat. ꝙ autem adulator principi iucundus habeatur: ex eo Ariſtoteles probauit in rhetoricis: ꝙ ſe admirari: ac amare principem ſimulare enitatur. hæc autem cuilibet eſſe iucundiſſima: nemo eſt qui dubitet. Præterea nullus eſt: qui virtutem natiua appetitione non deligat: & velit: quam licet non habeat: videri tamē virtute clarus expetit: ac ſtudioſe exquirit. Iucūdus itaq́ꝫ principi adulator videbitur: qui licet ex iis: quæ adulando laudat: principem non efficiat virtute: ac probitate eximium: facit tamen eum talem exiſtimari: quod periucundum quidem eſt. Vnde Ariſtoteles philoſophorum ſummus: Calliſthenem: qui tanq̄ aulicus ad Alexandrū acceſſurus erat monuit: vt cum Alexādro non niſi accerſitus loqueretur: & cū loqueretur: non niſi iucundiſſime: inuens non abſq́ꝫ adulatione eſſe loquendum. Qua ratione euenit: vt aulicus ab adulatione procul: non ſemper abeſſe debeat. Quod qua ratione fieri poſſit: vt ſcilicet aulica virtus: non omnino procul ab adulatione exiſtat: poſterius diſſerendum. ꝙ vero adulatores Not.

a principibus aliquo pacto ferendi ſint:eo libello:quē de peritia regnandi ſcripſimus ſatis exploratū eſt. vbi Reges Aegeſilaum:atq; Danum adulatores fugaſſe demōſtrauimus:non ab aulicis iocis:conuerſationibuſq;: ſed a conſiliis. Qui enim in conſiliis commendat: quæ reprehenſione digna ſunt: vel reprehendit: quæ omni laude maiora exiſtunt:hic vt peſtis eſt fugandus: Id vero quod decipere aulicos poteſt:eſt q̄ adulatio:quæ laudat̄ ab Ariſtotele in aulicis ipſis conuentibus: non in extremo eſt: ſed quæ circunſtantiis bene affecta mutato nomine affabilitas eſt:de qua poſterius agendum.

Quæ apud vſum Principum de Aulicis. Cap. VI.

CEnſebantur olim aulici: qui in mouendis principibus ad riſum periti:ac prompti erant: quorum duo genera ſunt: Alterum eorum:quos hiſtriones appellant:hi autem ſunt artifices: ac ludii: qui perſonati in ſcæna comœdias: tragædiaſq; voce: & corporis geſtu agunt.quiq; perſonati hoc eſt laruati mouent ſpectatores ad riſum: corporis motu:geſtu:atq; ridiculis verbis:quales apud nos ſunt:qui cauenſes imitantur:& apud venetos bergomates. Primus hoc ioci genus exercuit Romæ Clodius Tragoedi Aeſopi filius: & poſt eum alii plurimi. vt Author eſt plinius libro . IX. Alterum vero eorum: qui ſcurræ dicuntur: hi autem ſunt: qui riſum ab audientibus captant: quoſq; græci βωμολόχους vocant. Nam ridicula cum turpitudine componunt. huius generis fuerunt apud Romanos ſub Auguſto Cæſare Sarmentus ſcurrilitate notiſſimus. Apitius Galba ſub Tyberio Cæſare: de quibus Iuuenalis: ſi potes illa pati: quæ nec ſarmentus iniquas Cæſaris ad menſas: nec vilis Galba tuliſſet. Apud Domitianum vero tertius Caballus: de quo Martialis: qui Galbam ſalibus tuis: & ipſum poſſes vincere tertium Caballum. Proceſſit vſus iſte per manus vſq; ad principes noſtros: Nam Burra quidā ſcurra natione hiſpanus:apud Sigiſmundū

Imperatorem hoc ioci genus exercuit.hunc in conuiuio quodam Sigiſmundus argento onerauit adeo vt ſub põdere iam dehiſceret. Proximis ſeculis primus: qui hoc genus ineptum in Italiã attulerit: Nicolaus æſtenſis fuit: Petri gonellæ iocis:atq; ſcurrilitatibus delectatus:eoq; venit impuriſſimus vſus:vt iam non ſolum voluptati: ſed ambitioni res hæc principibus exiſtat. Fœdericus etiam Rex apuliæ Ferdinandi patris mores ſecutus:iocis Agelaſti ſummopere delectatus eſt. Ferdinandus catholicus hiſpaniarũ Rex iocis Boſtardichi:atq; petrichi ſũmopere exhilarabatur.Carolus.VI.Cæſar iocis Domini Francenſis ſumma voluptate afficitur. Frãciſcus Gallorum Rex iocis Biſcontini.Ferdinãdus Romanorum Rex Barri hiſpani ſalibus mirum in modum delectatur.vt Ferdinandus Salerni Princeps author eſt. Apud vero Raimundũ Cardonum in huiuſmodi iocis gratioſus fuit: Mondraconius:At apud Pompeium Columnam Centurio: qui hoc iocãdi genere peritiſſimus erat.Creuit itaq; adeo genus hoc:vt nihilipendatur principis aula: que ſcurras nõ nutriat:hãc ob cauſã Lucanus:exeat;inquit:aula qui vult eſſe pius.Qua ratione fit:vt apud hoſce viros aulici hi ſoli ſint habendi:qui in hiſtrionicis:& ſcurrilibus verſãtur: vt Aulici ab hiſtrionibus: atq; ſcurris eo dumtaxat diſtẽt: ꝙ hiſtriones: atq; ſcurræ communiter ſunt quicumq; indifferenter omnes ad riſum prouocant: Aulici vero qui tantum principes in aula delectant.Nam (vt poſtea dicemus) Aulica ſunt: quæ ita hiſtrionica: ac ſcurrilia complectuntur: vt ſint ad aulam principis accommodata:cũ vero ab ea recedunt: ſimpliciter hiſtrionica: ac ſcurrilia ſunt cenſenda:quemadmodum:cum homo ad filios refertur:patris nomen ſibi vendicat: cum vero a filiorum ratione abducitur:hominis nomen habet.

Refutatio huius opinionis:& quouſq; concedi poteſt. Cap.VII.

SEd aduerſus hoſce Plato inquit: video ſæpe in magnis opibus:ac faſtu:viros domi nutrientes hiſtriões

et ſcurras pniciosos:quibus nihil potētia aut diuitiæ de-teſtabilius habent. Ariſtoteles vero ſūmus in morali philoſophia doctor : ſcurilitatem:& hiſtrionica vitia aduerſus vrbanitatem demonſtrat. Quare cum aula principis omni virtute debeat eſſe illuſtris:fit vt non modo a principum colloquiis: atq; conuerſationibus ſint fugandi: ſed (vt Plato præcipit) a rebus publicis quoq;. Nec id profecto iniuria: nam quemadmodum Principatus eſt maximus honor: ita omne:quod in aula principis pro eius recreatione pertractari debet: honorabile atq; honeſtum eſſe oportet. Theophraſtus quoq; vir doctiſſimus authoritate Anazilis aſſimilabat hoſce vermibus: qui triticum nacti:non diſcedunt:donec vacuum id reddiderint:ſic.n.illi apud diuites ſubſtantiā rodūt. Verum licet ſcurræ: atq; hiſtriones ſi ſimpliciter intelligantur: a principum aulis ſint exigendi: viri tamen potentes (vt Ariſtoteles libro ethicorum. VIII. inquit) diuerſis vtuntur amicis: nam alii ipſis ſunt vtiles: alii vero ſunt iocundi. vt autem ambo ſint iidem non frequenter accidit: neq; enim quærunt vt iucundi & officioſi & vtiles ad honeſta ſimul ſint: ſed facetos quidem expetunt: voluptatem tātum captantes: at ad egendum habiles appetunt vt per eos vtilitatis præcepta exequantur. atq; hæc homine in eodem non nimium deſiderantur. probus autem homo iucundus eſt ſimul atq; (vt diximus) vtilis. Sed talis nō fit amicus viro in poteſtate conſtituto: niſi idem virtute præluceat: atq; præemineat: ſic: vt quamadmodum princeps virtute a faceto ſuperatur: ſic hic a principe diuitiis atq; potentia vincatur. per quæ Ariſtoteles declarauit eſſe duo genera principum: duoq; genera riſum mouentium: Nam Alii Principes ſunt: qui nihil aliud quærunt: niſi vtilia: & iucunda: & apud hos ſcurræ aulici ſoli reputantur. nam cum tales principes omni virtute vacent: non virtute iucundos quærunt: neq; vtiles ad honeſta. ſed ſcurras qui habiles ſint: ac prompti: vt voluptatum oblectamina celeriter exequantur. Alii vero principes ſunt omni virtute Illuſtres: & hi facetos quærunt: eoſq; vrbanos: qui cum vrbanita-

Adulatores Vermibus aſſimilati.

tibus: iociſq; facetis permiſcent ſales ad virtutes vel cõſeruandas in iis: qui illas habent: vel inſinuandas iis qui omni virtute carent: & optant: cauſa autem: (vt Heſiodus inquit) quia vnuſquiſq; iis gaudet: quibus ipſe affectus eſt: & in illis magnam vitæ partem conſumit. Quare quum hiſtrionica: ac ſcurrilia circunſtantiis condiantur: quibus officioſi actus affici ſolent: potiſſimum ſi cum ſalibus miſceantur ad virtutem redigentur: & principibus placebunt: qui probi ſunt: aut probi eſſe cupiunt. hoc pacto hiſtrionica: atq; ſcurrilia: (vt poſterius apertum erit) non erunt omnino ab aula exigenda.

Diomedis opinio de Aulico Req; ipſa Aulica. Cap. VIII.

EX iis vero: quæ VIII. ethicorum Ariſtoteles inquit (vt puto) Diomedes Caraſa Madaloni Comes Illuſtris: apud regem Ferdinandũ primũ Aulicus eximius: in eo libello: quem de aulico ſcrpſit: opinatur eũ fortaſſe virũ aulicũ eſſe: qui in iis principi placere ſtudet quibus ſũma voluptate ipſe afficitur. Nã cũ princeps ſit id: cuius gratia aulicus agit: ea agere aulicus: (vt inquit) enitatur: quæ principi iucũda ſunt: & quatenus hec aget: eatenus rationem veri aulici ſeruabit. Nec ab ratione videtur hec: quæ vir ille tradit. nã quemadmodũ in dei ſummi aula cœlicolæ ipſi q dei aulici ſunt: ea dũtaxat agunt: que deo placent: quæq; eius volũtati iucunda ſunt: & per hoc aulici cenſentur: Ita in aula humanorũ principũ aulicus ille eſt habẽdus: qui ea agit: quæ ſuo principi placent: ſic. n. princeps refocillabitur: atq; ſũma voluptate afficiet Præterea (vt ex Heſiodi carmine apertũ eſt) Quæ principẽ actio præcipue delectat: ea eſt quaſi ſuũ illius eſſe: qm̃ eius gratia viuere eligit: quatenus ad eam aut omnem vitam: aut maiorem vite partem deſtinauit. hinc nõ nulli

optimi aulici habentur: qui in ea actione principi coöperantur: quam ille maxime diligit:& in qua pro maiore ſue vite parte viuit. Vt ſi princeps muſica afficiatur: prudens aulicus muſicæ ſtudere enitatur: ſi litteris: ipſe quoq; aulicus eidem doctrinæ generi incumbat: ſi præterea ille figurandi peritia oblectetur: hic illo ipſo ſtudio teneatur. ſi gymnicis ille ſe exerceat: hic qui gratiam captare exoptat apud ſuum Regem: in gymnicis vim omnem experiatur. Cum autem aulicus gratiã apud regem nactus fuerit:ſequuntur (vt inquit) duo vt optima:quorum alterum ſibi: alterum ſuo principi conducere videtur: ſibi quidem:quoniam ea omnia a principe obtinere facile poterit: quæ ſibi ſunt vtilia: atq; honoroſica.Principi vero: quia ex gratia his artibus parta facile monere: hortari: trahere & perſuadere poterit principi: quecunq; proba atq; honeſta ſunt:vt iuſtitiam:clementiã: liberalitatem: magnificentiam: atq; virtutes omnes: quibus princeps clarus habebitur: non enim ad perſuadendum parum gratia valere cenſetur: vt Ariſtoteles docuit.z. Rhetoricorum. Oratores.n. perſuadent elocutione delectando: affectibus animum audientium mouendo: atq; rationibus & argumentis ratiocinando. potiſſimum autem affectibus: quorũ præcipua in mouendo eſt gratia. Quæ igitur ille vir arbitratur de Aulico: hæc breuibus collegimus:nam plura dicit: quæ mihi non viſa ſunt neceſſaria.

Refutatio. Cap. IX.

SEd pace tanti viri dixerim: hic docuit formare obedientem atq; obſequioſum ſeruum: non autem aulicum. Seruus.n. (vt Ariſtoteles primo politicorum author eſt) prudens eſt: qui voluntati domini obtemperare bene nouit: ſiue voluntas honeſta: ſiue improba fuerit. deniq; qui ſe totum ad alicuius arbitrium præbet:non eſt ſui iuris: qui vero ſui iuris non eſt: nec liber quidem ſed ſeruus cenſetur. Qua ratione fit vt vir ille non virtutem aulicam ſed ſeruitutem docuerit. At qui ſcripſerunt de aula:non eoſdem ſeruos eſſe dicunt & aulicos. Sunt.n.

in aula

In aula principis vna pars mulierum: de qua .z. libro dicemus. altera virorum: quorum alii ſerui dicuntur,non quidem (vt Cicero in paradoxis inquit) lege vel natura ſed qui Atrienſes, appellantur: quoniam miniſtrant ea omnia: que pro magnificentia:atq; neceſſitate principis idonea ſunt. Alii comites palatini:qui commenſales vulgo hodie dicuntur: quorum officium eſt comitari principem ſemper cum opus fuerit. Alii ſunt aulici quorum officiũ eſt principes iocis oblectare in colloquiis: cum ſe alienauerint a publicis negociis. vir igitur ille non aulicũ inſtituit: ſed ſeruum: docuit enim bene ſeruire quid nã ſit:non autem bene recreare. ea vero quæ pro ſua opinione induximus. voluptifica principi ſunt: non propter ſermones & geſtus: ſed propter vtilitatem vel voluptatem: Nos autẽ eum quærimus:qui ſermonibus: & colloquiis: ac geſtibus principes honeſte recreare poſſit.

Opinio quæ de Aulico habetur ex viii. libro politicorum Ariſtotelis: & de ocio Principum. Cap. X.

QVoniam actiones aulicæ (quæcunq; ſint) non exercentur apud principem: niſi cum princeps fruitur ocio ſ: & ab ipſis negociis feriatur: vt diximus:gratia relaxandi animum. Ideo de ocio:quod principibus ingenuiſq; viris idoneum fuerit agendum primo nobis eſt. Nam ex hoc facile opinio patebit: quæ ex verbis Ariſtotelis colligi poteſt: de aulico: itaq; cum homines non ſolum in negotiis: ſed etiam in ocio cum laude verſentur (vtriſq;.n.humanæ vitæ opus eſt) fit vt in ocio delectabilius verſari debeant. eſt enim expetibilius: cum per ipſum & voluptatem: & felicitatem heãnt: quæ in negotiis eſſe nequeunt. qui enim negotium agit: alicuius finis gratia id agit: tanq̃ qui deſit. finis autem felicitas eſt:quam non cum dolore ſed cum voluptate omnes eſſe putant. ociũ igitur negocio præferendum eſt: ea quidem ratione: qua finis præfertur iis:quæ ſunt ad finem. Ex quo euenit: vt optimos

principes' deceat ſecundum aliquam ſuæ vitæ partem
in ocio degere. nec id ipſum quidem in ludis ponere
honeſtum eſt: nam ſic neceſſe foret ludum eſſe vitæ fi-
nem. nec in ſomno ocium ponendum eſſe puto: quip-
pe cum ſomnus ſit mortis imago: in qua nullus felix eſſe
poteſt. perſpicuum igitur erit ocium honeſtum: atq;
præclarum in .4. reponendum eſſe: in litteris: pictura:
gymnica· & muſica. ſine litteris .n. ocium felix eſſe non
poteſt. Nam ocium ſine litteraria voluptate mors eſt: &
viui hominis ſepultura. ob id Maior Scipio a re militari.
vel rei ciuilis adminiſtratione ſecedens: ocium ad litte-
rarum ſtudia conuertebat: & propter id dictitare ſolebat
ſe numq̃ minus ſolum eſſe: q̃ cum eſſet ſolus. Et num-
quam minus ocioſum: q̃ cum ocioſus eſſet, putans ſe
in ocio multo plura facere: q̃ in negociis. Et Cato ma-
ior non minus ocii q̃ negocii reddendam rationem arbi
trabatur. Quanti vero apud principes olim litteræ fue-
rint: teſtes ſunt Xerſes: Philippus: Alexander: Ptolæme-
us: Antigonus: Archelaus: Cæſares deniq; Romani Prin-
cipes omnes: qui pariter militarem: ac litterariam diſci-
plinam percallebant. hi enim tanti litteras feciſſe memo
rantur: vt libros & litteras regiam ſupellectilem: & præci
pua ornaméta dixerint. Nec id immerito quidem: nam
cum cætera tempore & ſeneſcant & exoleant: ſola ſcien-
ciarum monimenta edacis temporis ſenium: mortemq;
non ſentiunt. nec per litteras intelligere volumus peritiã
legum: licet principem non ſolum leges callere oporteat
ſed eſſe legem ipſam: nec cæteras mercenarias facultates:
ſed eas principi ſcientias adiudicamus: quæ liberales
ſunt: ac inuentæ propter delectationem tãtum. hæ .n. nec
corpus lædunt: nec mentem ad vſum: atq; virtutum ope
ra reddunt inutilem. Picturæ etiam cognitio non minus
litteris digna: atq; voluptifica eſt principibus cum ĩ ocio
degerint: nec minus fortaſſe vtilis. hæc .n. in litterarum fi
guris: geometricarũq; deſignatione rerum conſiſtit: quæ
ad coſmographiam: topographiam: corographiam ne-
ceſſaria eſt. proinde pro ſolidis: atq; planis dimetiendis
latitudinibus: atq; ꝓfunditatibus apprehendẽdis: quæ nã

facultas pictura ipſa vtilior eſſe poterit:hæc autem q̃ dulcia:q̃q; iucunda:atq; vtilia principibus ſint: præſertim iis ducibus: qui in bellicis ſe exercent ſtudiis: nemo eſt qui dubitet. Paulus Aemilius victo Perſe athenas pertranſiens ab Athenieñſibus pro filiis inſtituendis inſignem philoſophum: ac pictorem pariter petiit:ad quem Methrodorum miſerunt: qui & philoſophiam & picturam apprime callebat. Alexander Macedo philoſophos atq; pictores miro proſequebatur amore: quod quidem vel ex hoc cernitur.nam cum amaret ſupra pellices ſuas omnes Campſacen quandam nomine: quæ non tamen facie ſed totius quoq; corporis menbris: omnium ſpecioſiſſima habebatur.cumq; ea de cauſa Apellẽ rogaſſet:vt eam nudam pingeret.Annuit Pictor: eamq; nudam oſtendendam ſibi curauit: qua viſa tanta eius formæ cupiditate correptus eſt: vt in eam ad inſanos vſq; amores exarſerit: cuius rei certior factus Rex: illam eueſtigio Apelli dono dedit.&delitias tori ſui:placitoſq; amoris affectus eidem tradidit: ac pertulit: vt ea quæ modo regis fuiſſet dulces delitiæ: q̃ primum pictori fieret liberale donum: quod quidem nobis maximo argumento erit: vt credamus Alexandrum non minus pictores q̃ philoſophos dilexiſſe. Iucundam quoq; principibus atq; voluptificam eſſe muſicam:cum ocio frui voluerint:non modo Ariſtoteles affirmat: ſed Plato quoq; ad animi exercitationem vtilem eſſe probauit: non ſecus atq; ad corporis agilitatem gymnicam. Verum ſicuti aſſidua corporis exercitatio hominem hebetiorem ingenio efficit: ſic continua muſicæ oblectatio animum effeminat: atq; corporis vires eneruat. Lycurgus muſicen a natura hominibus traditam eſſe dicit: ad tolerandos facilius humanos labores: & hac ratione ductus in re militari tibias conſtituit & anapeſti concentum: vt bellatores redderet promptiores alacrioreſq; in laboribus periculiſq; et celeriter ſubeundis: & fortiter tolerandis. Lacedemoniorum enim acies in prælio contra meſſenios iam inclinaſſent: ac ſucubuiſſent prorſus: niſi Tyrteus tibie modulis in ſpondeũ mutatis eas erexiſſet:atq; ex victis victores reddidiſſet.Cimõ

Pi[illegible] et Philosophia Alex. amavit

Cur musica a natura [illegible]

In conuiuio quodam Themiſtocli prælatus eſt: ꝙ iocun de ad lyram cecinißet: Themiſtocles vero recuſaßet. & inter Epaminundæ Thebani virtutes in primis laudauerunt: ꝙ præclare ad citharam: & ad tibias cantaret: propter hanc cauſam in ocio principum græci muſicam valde optarunt. priſci etiam ad manſuefaciendos feros hominum mores quaſi pharmacon muſicen inuenerunt: Pythagoras cum inter noctu vicini domum latrones inuaſiſſe audiret: eos modulis ac lyræ cõcentu detinuit: donec domus ſeruata eſſet. ſic Amphion: ſic Orpheus: ſic Solon poemata ac muſicam ad continendum hominum mores induxerunt. Linus quoq;: Eumolpus: Silenus Thamyras: & qui tales fuere: dulciloquo poemate mulcente muſica: & pene animos euocante ſacra cecinere. Quantum vero principibus [illegible]ptifica atq; iucunda ſit gymnica: cum ociantur: facile cognoſcitur ex his: Nam quemadmodum literæ: pictura: & muſica ad animi exercitationem: & ad ocii tranquillitatem: atq; decorum vtiles ſunt: ſic ad corporis vegetationem gymnica proſunt: & vt muſica: cum aſſidua fuerit animum effœminat: ita continua corporis exercitatio hominem hebetiorem ingenio efficit. Gymnica facultas erat apud græcos: qua homines in ludo quinq; artes exercebant: vt curſum: ſaltum: paleſtram. telorum iaculationem: atq; diſcum. Nos autem gymnicam intelligimus facultatem: qua corpus ſe exercet quo vis modo: tam equitando: q̃ progrediendo: modo exercitationes moleſtæ: nec molles: nec violentæ: ſed moderatæ fuerint: inter quas (vt Plato libro VII. de legibus demõſtrauit) conueniẽtiſſima videtur venatio: quæ claris principibus ſemper fuit gratiſſima: & quaſi eorum peculiare ſtudium: dequa multa ſcripſimus in libro de optimo principe. Quibus exploratis: Aulicus videbitur eſſe: qui in his omnibus vel pluribus principem in ocio coloquiiſq; ocioſis blande demorari poterit. Nã cum finis aulici ſit principem ipſum recreare: potiſſimum poſt negocia: quibus princeps feſſus cognoſcitur: cumq; (vt diximus) per hæc animus principis magis q̃ per cætera recreetur: ſit vt aulicus: qui ad nihil aliud q̃ ad recreationem

recreationem eſt inſtitutus: hæc quæ diximus pernoſſe debeat: ſic enim finem ſuum obtinebit.

Quæ de Aulico Neoterici. Cap. XI.

EX his quæ diximus: facile ad artem reduci poſſunt: quæcunq; Neoterici de aulico longiſſimis verbis ſcripſerunt: nam partes omnes: quibus aulicum conſtituunt: non aliæ ab iis ſunt: quæ proximo capite ſunt expoſitæ: ſiquidem id omne: quod aulico præbent: aut ad litteras: aut ad pingendi peritiam: aut ad muſicã: aut ad gymnicam attinere videtur: præter facetos ſermones: quos aulico proſtremo aſcripſerunt. formant itaq; aulicum ex. 4. partibus: quæ ſuperius demõſtratæ ſunt: & ex peritia mouendi auditores ad riſum: quæ facetis ſermonibus conſtat. hũc enim aulicum perfectum arbitrãtur. Inter loquendum tamen non modo hæc quinq; aulici partes eſſe tradunt: ſed quaſi virtutes omnes: potiſſimum modeſtiam: optimum in armis habitum: temperantiam: manſuetudinem: continentiam: dicacitatem atq; taciturnitatem: ſemper cum opus fuerit: integritatem in dictis: atq; factis: aſſerunt etiam aulicum: nec ſubdolũ: neq; mendacem: neq; maledicum: neq; adulatorem: neq; delatorem: neq; obtrectatorem: neq; inuidum eſſe debere: Sed (vt vno verbo complectar omnia) in cunctis integerrimum. Egidius romanus doctor egregius eo libro quem de regimine principum ſcripſit: poſt multa verba libro. z. parte. ꝫ. Capite. xviii. concludit curialitatẽ: quã nos aulicã virtutẽ vocamus eſſe quodãmõ virtutẽ omnẽ ratione habita ad morũ nobilitatẽ: modo vꝫ. quo virtus ipſa legitima vniuerſa virtus eſt: vt v. ethicoꝝ probauit Ariſtoteles. verꝫ (vt inquit) licet curialitas ipſa omnis virtus ſit: tamen per quandã excellentiam: partes aulicas continet: quæ ſunt largitas: atq; affabilitas: largitas quidem (vt inquit) quãtum ad ſumptus ipſos: affabilitas: quantum ad conuerſationem. vbi Egidius: vt conſtat: ab aulico vrbanitatem dimouit.

De Multiplici errore huius opinionis. Cap. XII.

SEd pace horum dixerim:huius opinionis errata plurima ſunt. primum quidem ꝙ ocii partes:(quas deſcripſimus:) nō aulici:ſed Palatini comitis ſint:quo etiam errore Egidius eſt lapſus Comes enim palatinus: vt principis aula dignus cēſeatur: litteras:muſicam:pingendi facultatem:atq; gymnicam non ignorare debet.ſic enim (vt Ariſtoteles dicebat) æqualis principi efficitur: vt licet ſuperetur a principe potentia: atq; opibus:excellat tamen eum diſciplinis huiuſmodi: quod ſi æqualis euaſerit principi: & comes: & amicus eſſe poterit. Deinde ſi aulicus iis omnibus eſſet inſtituendus : quæ illi explicarunt:tunc virtus aulica contineret:atq; cōplecteretur virtutes omnes:quibus vir ꝓbus emicat:quod licet Egidius conceſſerit:tamen erraſſe videtur: nā eueniret:vt idē eſſet vir probus : atq; probus aulicus. hoc .n. falſum eſſe nemo dubitare debet:qui peripateticam moralitatem degustauit. vt enim nō eſt idē vir probus:atq; ciuis probus authore Ariſtotele : ſic fieri non poteſt vt idē ſit vir probus: atq; probus aulicus. Inſuper habitus:quo quis aulicus dicitur:non eſt habitus:quo quis dicitur continens: aut temperans: aut modeſtus: aut iuſtus: aut alia qua vis virtute expolitus. Non igitur virtus aulica virtutes omnes complectitur. Eſt enim virtus aulica virtus quædam particularis: qua quiſpiam aulicus eſt : nec ſequitur vt eadem virtute ſit liberalis: & iuſtus: & fortis: vnde quemadmodum qui manſuetus eſt eo habitu:quo eſt manſuetus: non eſt fortis: neq; liberalis neq; temperans: neq; aliquid tale conſequitur: ſic qui aulicus eſt: eo habitu:quo eſt aulicus:nulla alia virtute excolitur q̄ aulica. Id autem quod decipit eos : eſt: perſæpe euenit : vt in eodem viro cum aulica ipſa virtute plures aliæ eluceāt : ſic profecto: vt idē vir ſit & aulicus & modeſtus: & verax:& tēperans: & huius modi:& apud ſophiſtas nequaq̄ ſequitur: ſi idē vir aulicus ſit: & fortis : vt virtus aulica fortitudinem

Virtus Aulica

complectatur: Cauillus enim huius modi ex ſoco ab accidente decipit. Poſtremo Primi Reges: qui virtutem aulicam adinuenerunt: ea nullius alterius finis cauſa vſi ſunt: (vt author eſt Ariſtoteles in poetica) niſi ad animũ relaxandum: At cum non ad alium finem ſit hæc virtus in aula inſtituta: nullam aliam virtutem complecti poterit. Sic.n. non tantum ad recreandum: ſed ad alium finẽ conſequendum illius inſtitutio a priſcis regibus fuiſſet inducta: cuius contrarium hiſtoriæ probant. Arbitrabantur igitur aulicum inſtituere: & virum probum deſcripſerunt: & quidem talem: qualis nemo fuit vnq̃ neq; quiſpiam erit: niſi fortaſſe in ipſa animi conceptione. Egidius etiam deceptus eſt: qui vrbanitatem ab aulico ſubtraxit: cum hæc vt poſterius dilucidabitur: ſit aulici potiſſima pars: errauit etiam cum dixerit largitatem partem aulicam eſſe: cum largitas ad principem: & non ad aulicos attineat.

De Re Aulica.

Cap. XIII.

CVm nobis ſermo ſit futurus de virtute aulica: deq; aulico ipſo: conſequens eſt diſquirere primo de re aulica: nam vt viſiua virtus: quæ natiua eſt: nobis conſtat re viſibili: & auditiua re ipſa audibili: & tactiua re quoq; tãgibili. & omnino virtus natiua omnis proprio obiecto: circa quod verſatur: nobis perſpicua redditur. fit vt primo declaremus rem aulicam. Sic.n. mox virtus ipſa aulica patebit. In conuictibus itaq; & colloquiis: congreſſionibuſq; humanis vſus verborum atq; rerum fiunt dupliciter: aut ſolum ad delectationem: gaudiumq; inducendũ in colloquentiũ: ac cõgredientiũ: cõuiuentiũq; animos: aut nõ tantũ ad id conſequendũ: verũ etiã ad captandũ riſũ. Eſt autẽ differẽtia inter riſum: & voluptatẽ: nã nemo ridere poteſt: niſi voluptate afficiat: ac gaudeat: poteſt autẽ quis voluptate affici: atq; gaudere ſine riſu. voluptatẽ efficiunt iucunda: de quibus rhetoricorũ primo

diligenter diſſeruimus: Talia ſunt & res: & verba: & geſtus: qui verbis efficantiam afferunt: res quidem: vt cœlum: nam vt cœlum intueri voluptatem affert. ſic contra tenebræ dolorem pariunt. vt ſimilia: ſiquidem conuerſari cum ſimilibus: voluptatis eſt cauſa. et per oppoſitum ſolitudo triſtitiam gignit. vt deſiderabilia: nam cum deſiderabilia obtinuerimus: ſumma voluptate mouemur. Sunt & aliæ res plurimæ: quæ voluptatem nobis conferunt: de quibus in rhetoricis: ſed hæc ſufficiāt pro exemplis rerum: quæ delectant. Verba autem voluptatē ingerūt: cum teſtantur nos virtute præditos eſſe: vel cum obtegunt vitia: vel indicant beneuolentiam erga nos. Nullus.n.eſt qui virtutem ingenito appetitu non diligat: ac velit: et cum non habeat: videri virtute clarus: non exoptet: ac tuatur. Hac ratione Niceſias cum videret Alexandrum Magnum petitum a muſcis: quanto inquit hæ cæteris præſtant: quæ ſanguinem tuum deguſtāt Imperator. Et cum vulneratum eum conſpiceret: illud homericum ſtatim protulit: qualis diuorum percurrit corpora ſanguis. Hages Argius: Cherilus: & Cleo ſiculus Alexandrum adulando deum eſſe ante mortem cecinerunt. Detius laberius rogatus a Cæſare: vt in ſcenam prodiret: reſpondit nihil tanto viro ſe denegare poſſe: cui & ipſi dii omnia tribuiſſent. Geſtus vero gaudium nobis efficiunt: cum probant: aut amplificant verba: quæ in conuictibus colloquiis: ac congreſſionibus voluptatem agunt: aut obtegunt vitia: defectuſq; ipſos: aut amorem præſeferunt. Cliſophus. Philippi Macedonis aſſentator claudum ſe effingebat: ꝙ Philippus crus fractū haberet: nec ob aliud: niſi vt oſtenderet: non eſſe turpem Philippo cruris fracturam. Temporibus noſtris Franciſcus pandonus: os oculoſq; contorquebat: ꝙ Ferdinādus iunior: cui adulabatur: iis rebus laborabat. nec aliam ob rem: niſi vt geſtibus etiam Ferdinandi turpitudinem imitatione obtegeret: illamq; probaret. Timagoras Athenienſis Darium Regē perſarum adorauit: vt eo geſtu magis regi adularetur. Ariſtippus Dionyſii Syracuſani pedes obſculatus eſt. vt ipſe quoq; geſtu adulareť. Chariſophus

cum uideret Dionyſium cuius erat adulator: in colloquiis ridentem: procul quoq; ridebat: ut ea imitatione blandiretur. vna igitur pars rerũ aulicarum eſt ſermo iucundus & geſtus acommodatus: qui in principum colloquiis: conuictibus; ac cõgreſſionibus exercentur. Circa enim hos uerſatur uel maxima pars uirtutis aulicæ. Altera uero ſpecies rerum aulicarum eſt ſermo ridiculus: uel geſtus: qui in congreſſionibus principum fieri ſolent. Circa enim hos uerſatur altera pars uirtutis aulicæ: diximus uero in congreſſionibus principum: quoniam ſi ſermones iucundi uel geſtus: & ſermones ridiculi uel geſtus agerentur in congreſſionibus: conuictibus: ac colloquiis priuatorum: virtus quæ circa eas res uerſatur: non aulica; ſed vrbana: aut affabilis diceretur; ut poſtea exponemus. Nam vt homo pater eſt: dum refertur ad filium: ſic vrbanus & affabilis aulicus dicitur: ſi refertur ad principum aulam; Qua ratione fit: vt aulica ipſa virtus duas complectatur virtutes morales: quæ in conuictibus: congreſſionibus: atq; colloquiis ſpectantur: quarum altera affabilitas: altera vrbanitas nuncupatur ab Ariſtotele. Quare opus eſt: vt vtranq; exponamus: ſed primo de origine ortuq; virtutis aulicæ: & apud quos primo emerſit: & cuius gratia: nobis differendum eſt.

Vnde orta aulicaria: & apud quos primo emerſerint: & cuius gratia. Cap. XIIII.

AVlicaria itaq; primo nobis dediſſe naturam teſtantur animalia. nam auibus paruis natura ſola operante aulicus eſt aſſio: atq; noctua: quæ auibus paruis fere omnibus affert uoluptatem: eſt autem nobis argumento Auceps: qui aſſione uel noctua auibus demonſtrata: fiſtulaq; vocando viſco eas decipiendo capit. Nam licet nec aſſio: nec noctua ridicula uolucribus proferat: ſuis tamen geſtibus: atq; forma eas mouet ad uoluptatem. Bubo uero aduncis auibus Aulicus eſt: nam ſua forma: ac ſpecie: ſuiſq; motibus eas mouet ad delectationem

Vulpes coruis aulica eſt: & propter hanc cauſam: quũ Coruus pugnat cum Aeſalone: vulpes ei auxiliatur. Vulpi quoq; ſerpens aulicus eſt: & ob eam rem vulpes in eadem cauerna viſo ſerpente voluptate affecta commoratur. habere enim vim quandam naturalem animantes in quauis animi affectione videntur: vt puta prudentia: ſtultitia: fortitudine: ignauia: clementia: acerbitate: ſic etiam in rebus aulicis. Naſcuntur etiam inter homines: & viri & mulieres natura aulici. vnde & Ariſtoteles. 3. rhetoricorum libro aſſerit ingenioſi eſſe natura: facete dicere: ſed facete docere dicere: eſſe artis rhetoricæ. et ob id Victorinus dictitabat: natura fieri hominem habilem: arte facilem: vſu ac exercitatione admodum potentem. A natura deinceps homines accipientes exemplar: inuenerunt primo comica: & tragica: quæ voluptatem & riſum afferunt audientibus. habitiq; ſunt primi aulici: quaſi comici: & tragici: apud Dorienſes: & Megarenſes: & apud eos: qui ex Sicilia orti ſunt. adeſt ratio: quoniam apud eos primum populare imperium ortum eſt. illic ſiquidem poeta fuit Epicharmus: qui multo ante Chonidum: & Magnetem fuit. Sunt qui etiam (vt Ariſtoteles inquit in poetica) in peloponneſo a nomimine capientes argumentum: comica: ac vrbana omnia orta eſſe autument. nam comas ab illis vocari colonos aiunt. propterea eo libello: Ariſtoteles docuit quæ ridicula comicis idonea fuerint: quæve tragicis. omnia enim hæc vrbana eſſe videntur: ac affabilia. etſi tragica magis vrbana: comica vero ſcurrilia ſint. Eodem quoq; tempore cœperunt aulica locum habere apud Reges: auliciq; eſſe: vt Apollophanes apud Antigonum. Timagoras Athenienſis apud Darium. Cliſophus atq; Patroclites apud Philippum Macedonem: Apud Alexandrum Niceſias: Caliſthenes: Medius: atq; Lyſimachus: Chariſophus: & Ariſtippus: apud Dionyſium. vnde vero inducta fuerunt aulicaria apud Reges: licet forte ex comicis: & tragicis profecta ſint: partim

tamen natura: partim beneficio emerſerunt: Natura quidem: nam ex principibus aliqui natura ita inſtituti ſunt: vt ſeria velint: & ſcurrilia omnino a ſe abdecent. Vt Auguſtus adeo vt ſe dominum appellari ne a liberis quidem: & nepotibus ſuis ſerio vel ioco ſubſtinuerit. Cæſar quoq; Tiberius ſimili ratione. Ageſilaus etiam lacedæmoniorum Rex: aliiq; plurimi. Rurſus ſunt quoq; Reges: qui natura aulicariis ipſis gaudeant: ſummaq; voluptate afficiantur: vt Philippus: Alexander: Darius: Aliiq; complures: Beneficio vero: nam cum hominum vita: tum corporis: tum animi laborum ac moleſtiarum plena ſit: iccirco poſt labores requies quæritur: in qua recreetur animus vna cum corpore: atq; inter moleſtias iocus. natura .n. duce ad requiem trahimur; ac voluptatem: Hac ratione a bene conſtitutis populis: & a Romanis præcipue gentium dominis ludi fuere diuerſi generis inſtituti atq; theatra: quibus ſpectandis: tum populus vniuerſus: tum Magiſtratus ipſi quottidianis a laboribus: negotiiſq;: & priuatim: & publice ſuſceptis reſtaurarentur: quando & foſſores: & qui cædendis exercentur lapidibus: & iocos inter ſe effundunt oblectandi gratia: & vbi illa defuerint: cantu laborem mulcent: leniuntq; ærumnas diurnas. Qua re cum Reges negotiorum multitudine feſſi euadant: recreatione indigent. recreatio vero potiſſimum in aulicariis habetur: partim quia ridicula: partim quia iucunda ſunt. vnde & medici hæc idonea eſſe probant iis potiſſimum: qui ex laboribus ſunt extenuati: ac triſtes: cum iucunda: ac ridicula ſanguinem augeant: ac ſpiritus inſtaurent. contra vero triſtitia: ac dolor oſſa fere tota conterunt: & carnem exhauriunt.

Natura et voluptate trahimur

De affabilitate: quæ eſt vna ex partibus aulicæ virtutis.

Cap.XV.

QVoniam (vt diximus) virtus ipſa aulica duas partes complectitur: affabilitatem ac vrbanitatem: modo hæ apud principum aulas exerceantur: de affabilitate primo differendũ: atq; de illius extremis. habent enim ſermones: & geſtus iucundi: & extrema: & medium: Medium quidem: ſi debitis: iuſtiſq; circunſtantiis afficiantur. Extrema vero: ſi circunſtantiæ nõ affuerint: quibus debitum medium circunſcribatur. In congreſſionibus igitur conuictibus: verborum ac geſtuum communi vſu: non nulli placidi ſunt: qui vt voluptatem afferant congredientibus: laudant omnia: nihilq; aduerſantur: putantes ſe ſe moleſtos cuiq̃ eſſe oportere nequaq̃: qui ſi placere ſtudent non ob aliud: niſi uoluptatis cauſa: placidi uocantur. at ſi emolumenti ſui cauſa id agunt: vt videlicet inde in pecuniis: vel in iis: quæ pecuniis comparantur: vtilitas proueniat: adulatores dicuntur. Non nulli vero ſunt: qui in omnibus aduerſantur: nec curam ullam habent num doloré afferant: odiumue in ſe contrahant: & hi difficiles: vel inhumani: vel contentioſi dicuntur. At qui medium inter hos tenent: quoniam laudant ea: quæ oportet: & ut oportet: & quando & vbi: & ſic de cæteris: ut oportet: ſimiliter aduerſantur: ac ægre ferunt ea: quæ oportet: & ut oportet: hi licet nomine uacent: tamen de licentia affabiles dicuntur: vel amici: vel iucundi. ſunt enim affabiles: qui uerbis ac geſtibus: ea laudant vel ægre ferunt: quæ oportet: & quibus perſonis: & quando: & vbi: & eo modo quo oportet: qua ratione fit: vt extremi vitio notentur: Medii uero: qui affabiles ſunt: virtute indicentur. Nec vna ratione medii huiuſmodi conuerſari ac colloqui poſſunt cũ omnibus: nam alia ratione cum iis: qui in dignitatibus ſunt conſtituti: colloquendum eſt: apud quos non affabiles: ſed aulici nuncupantur. Alia vero ratione cum priuatis

Affabilis.em

perſonis :apud quos affabiles dicuntur. in ſuper aliter cũ magis vel minus notis. Hactenus de affabilitate: quæ eſt altera pars virtutis aulicæ.

De ſermonibus: ac geſtibus affabilibus.

Cap.XVI.

CVm vero affabilis medius ſit inter facilem: qui & placidus ſiue adulator ac aſſentator eſt:& inter dif ficilem :qui & inhumanus: & cōtētioſus exiſtit: fit vt affabilis ſit geſtibus:ac ſermonibus iucundus. Quare de ſermonibus: & geſtibus iucundis aliqua afferamus Nã(vt diximus) & res: & ſermones:& geſtus Ariſtoteles non nullos iucundos eſſe autumat: de quibus primo rhetoricorum ſatis dilucide locutus eſt. de rebus iucundis: ac dolorificis nunc omittamus:Sermones vero: ac geſtus(vt ſuperius diximus) ſunt: qui principibus aut virtutem: laudemq́ꝫ teſtantur: aut vitia: corporiſq́ꝫ fœditates obtegunt: aut erga eos amorem demonſtrant.Cum enim principes probos in nata propenſione ſe ſe eſſe velint: aut ſaltē videri tales: fit: vt ea verba :ac geſtus illis ſint iucundi: quibus vel ſe eſſe probos arbitrantur: vel videri tales :aut ſaltem quibus eorum vitia obteguntur aut quibus amor erga eos declarat̃. verũ iucundi ſermones aut geſtus: bifariam ſunt: aut cum delectu: aut ſine delectu:delectu quidem ſermones ac geſtus iucũdi ſunt qui iis circunſtantiis circunſcribuntur: quibus actiones probæ virtuteſq́ꝫ conſtituuntur. perficiuntur autem atq́ꝫ redduntur actiones probæ circunſtantiis: huiuſmodi: ſi qui agunt(vt diximus) & ſicuti oportet: & quando oportet: & quantum oportet agunt: modumq́ꝫ in cunctis retinent:ne aut nimia ſit eorum actio: aut remiſſior: minimaq́ꝫ: vtq́ꝫ & loci meminerint: & perſonarum ac rerum etiam ipſarum. quæ: qui ſeruant. hi dicuntur ſermonibus. ac geſtibus iucundis delectum adhibere.

nam per delectum ea omnia intelliguntur: quibus actio-nes ipſæ : ac ſermones iucundi in virtutes rediguntur. Quare: qui mediocritati huic: quæ affabilitas dicitur da-turus eſt operam : ne aut in gratiam loquens recedat a medio profundatq; ſe ſe in aſſentationem: atq; obſequiū: vel adulationem : aut dum ſeria veraq; ſequitur : dilaba-tur in aduerſum: acerbaſq; ad contentiones: modo refra-gatoris perſonam : modo rixatoris induens : geſtibus ac verbis iucundis delectum adhibere debet : & rerum : & temporum & locorum : & perſonarum . nam ſic affabi-lis euadet : verba vero : & actiones : quæ iucundæ ſunt : cum ipſa virtute affabiles reddentur: maximeq; laudabi-les apud principes : ac publice : priuatimq; : & apud ci-ues: & apud peregrinos.hoc pacto Ariſtoteles: iucundos ſermones: ac geſtus a virtute ea proficiſci aſſerit: quæ li-cet nomine careat: affabilitas tamen dicitur. Sunt autem ſermones: ac geſtus huiuſmodi affabiles potiſſimum ac-commodati Philoſophis : ac viris perfectis . quales Dio-genes apud Philippum: & Alexandrum : Cornelius ne-pos: Pōponius Atticus apud Romanos: fuere: Quapro pter Socrates dicebat: ſicuti nec gladium obtuſum ad in cidendum: ita nec loquendi libertatem ſine effectu & vti litate eſſe oportere: vt non odio magis q̄ iudicio conten dere videamur . Ariſtonimus dicebat etiam ſicuti mel guſtu quidem dulce vulcera ſanat: ac mordet : ſic ſermo Phyſicus.propterea Euſebius:fiducia inquit loquendi a libero animo veritatemq; amante procedit : hoc præſta-bis:ſi non cuiq̄:nec ſemper putabis cōuitium:aut obiur-gationem facere : ſed pro tempore : perſonis : ac modis: Diogenes interrogatus ab Athenarū Principe: cur Athe-nis moraretur : cum lacedæmonios tantopere laudaret: Quoniam (inquit) medico bene ſe habentibus non eſt opus : affabilis : atq; iucunda reſponſio hæc fuit . Plato cum loqueretur cum Dionyſio : eſſetq; quaſi attonitus: interrogatus vbinam eſſet: reſpondit: omnes qui perdi-te amarent: in alieno viuere corpore : atq; in ſuo mortu-os eſſe. hæc reſponſio affabilis eſt. Athenodorus affabili-ter reprehendens Auguſtum monuit eum . vt quoties

in iram incideret: ne quid prius vel ageret: vel diceret: q̃ alphabetum ſecum recitaſſet: putans ea paruula mora iræ impetum deferuere: fieriq; vt quicquid poſtea vel loqui vel agere vellet: tranquilliore mente tum loqueretur tum efficeret: vnde minus poſtea doleret. reprehenſio itaq; hæc affabilis eſt. Omulius cum vellet carpere Traianum affabiliter hoc pacto loquutus eſt: cum maioris vtilitatis ratione malum principem eſſe optandum: qui per multos bonos haberet amicos: q̃ bonum: qui malorum amicitiis vteretur. ſiquidem facilius foret a multis bonis vnum malum ad bonitatem deduci: q̃ ab vno bono multos malos a malitia auerti. fuit hæc quoq; reprehenſio affabilis. Orſimada Perſa reprimens Conſtantii Imperatoris vanágloriam: cum interrogatus eſſet: quid ſibi videretur de magnitudine: deq; excellentia Romanæ vrbis: bene reſpondit: niſi Romæ homines morerentur: quemadmodum & in aliis omnibus mundi vrbibus: affabili enim reſponſo Orſimada Conſtantii vanitatem repreſſit Erunt itaq; ſermones: ac geſtus affabiles: reprehenſiui quidem cum iucunditate: aſſentatiui vero cum affabilitate: aut obtegentes vitia: cum modeſtia: aut laudantes virtutes non cum amplificatione: vel admiratione. aut amoris demonſtratiui cum moderatione delectuq;.

De Placidis ac adulatoriis Sermonibus & geſtibus: qui ſine delectu ſunt.

Cap. XVII.

DE placidis vero: ac adulatoriis ſermonibus & geſtibus: ſatis ſuperius diximus: tamen vt ordo ſeruetur non nihil repetamus. nam (vt diximus) iucundi ſermones vel geſtus: cum delectu ſunt: quoties perficiuntur circumſtantiis: quibus actiones: quæ ſunt a virtute veſtiuntur: vt quum aguntur: & ſicut opor

tet & quando oportet: quantumq; oportet: modumq; in cunctis retinent. At cum in gratiam a medio receſſerint: profuderintq; ſe ſe in aſſentationem: atq; obſequium: uel adulationem: tunc geſtus: ſermoneſq; ſunt ſine delectu: placidi: ac adulatorii: vnde Gnato apud Terentiũ: & eorum (inquit) ingenia admiror: ſimul qcquid dicunt laudo: id rurſum ſi negant: laudo. Id quoq; negat quis: nego: ait: aio: Poſtremo imperaui egomet mihi omnia aſſentiri. Ex his uerbis ſequitur vt ſermo vel geſtus adulatorius ſit: quo quis principi: vel cuicunq; aſſentiendo vel per memoriam præteritorum: vel cognitionem præſentium: vel per prouidentiam futurorum virtutem in eo patefacit: vel vitium obtegit vel amorem oſtendit: qui ſi fiat cum admiratione: atq; amplificatione: adulatorius. ſin ſine his placidus erit. Eſt & alia differentia: q adulatorius ſermo profertur lucri cauſa: aut captandæ auræ popularis gratia: placidus vero eiuſmodi eſt: vt ita natura comparatus: vſuq; etiam confirmatus ſit: vt nulli velit diſplicere: huius generis fuere ſermones Petri Grauinæ viri doctiſſimi: cum enim nulli vellet diſplicere: ſermone ſemper cunctis placidus erat. Geſtus quoq; adulatorii ſunt quibus demonſtratur amor aut virtus: aut obtegitur vitium in eo: cui adulamur. quales eorum ſunt: qui vna ſemper Regi adhærent: ſectanturq; eum quocumq; ierit: idemq; faciunt: ſiue is rideat ſiue lugeat: ſeu aliqua alia capiatur perturbatione affectuq;: ſi etiam occubet: pariter occubant: ſi morbo aliquo laboret: & eo ſe laborare fingunt. Vt de Cliſopho ſuperius diximus: qui claudum ſe fingebat: q Philippus: crus fractum haberet. ſic enim vitium obtegebat. Cacoſitus: (cum Ebulus ſe iactaret: q diligens eſſet ſagittator:) adulando dixit: nam & nudius tertius ſagittando monedulam necaſti: & non multo tempore antea capream. Hic ſermo aſſentatorius eſt ex memoria præteritorum: demonſtrans virtutem regis in iaculando & veritatem illius in loquendo. Nam & veritas eſt de maximis virtutibus. Oligoſitus vero cum audiſſet: ſtractidem ſe ad uenandum præpararet:

Sermo adulatorius

Sermo placidus

adulando dixit: nec perdifficile erit tibi innumeras bæluas: ac etiam leones venari. hic ſermo aſſentatorius eſt ex prouidentia futurorum: Demonſtrans etiam veritatem regis in loquendo: & virtutem in venando. Simon vero apud Lucianum in tichiade definiens aſſentatorem: dicit eum eſſe: qui verbis: ac geſtibus: omnibus modis: quibus poteſt: demonſtrat: ſe ſummo amore: ſummaq́ꝫ beneuolentia complecti eum cui adulatur. Qua ratione fit: vt ſermones: ac geſtus adulatorii ſint: quibus ſignificatur amor erga Regem vel principem: cui fit adulatio. Quare bene Terentianus Gnato (vt ſupra diximus) ſimul quicquid dicunt: laudo: id rurſum ſi negant laudo: id quoque negat quis: nego: ait aio: poſtremo imperaui egomet mihi omnia aſſentiri. per quæ verba Terentius demonſtrauit aſſentatorem: eſſe eum: qui conſenſu verborum indicat ſe amare eum: cui blanditur.

Aſſentator cuj

Qui Aſſentatores: Adulatoreſq́ꝫ fuerint.

Cap. XVIII.

ADulatores ſuperius multos enarrauimus: nunc alii ſunt enarrandi. Eſchines itaq́ꝫ Socratis diſcipulus Dionyſii tyranni aſſentator fuit: eiuſdem quoq́ꝫ & Ariſtippus Cyrenæus cunctis aliis gratioſior. Euripides etiam Archelai: & Anaxarchus Alexandri. Andromachus Carrenus Craſſi: cui omnia Craſſus communicabat. Patroclides Philippi. Demades adulando: Alexandrum dixit deum eſſe. Euagoras vero adorauit eundem. Neſtor autem Agamennonis Regis aſſentator fuit: vt author eſt Simon apud Lucianum in tichiede. eiuſdē Agamennonis aſſentator fuit Idomeneus etiam. Achillis quoq́ꝫ adulatorem tradunt fuiſſe Patroclum: Ariſtogitonem Armodii: omnes .n. hi: aliiq́ꝫ complures in ſermonibus: ac geſtibus adulatoriis: aſſentatoriiſq́ꝫ diſertiſſimi fuere.

Neſtor Agamnnonis aſſentator

De difficilibus ac Contentioſis Sermonibus: atq; geſtibus.

Cap. XIX.

NVnc de difficilibus ac contentioſis ſermonibus: atq; geſtibus dicamus: & primo: quis difficilis ac contentioſus homo ſit: exponamus. Eſt itaq; (vt Socrates definit) qui odio magis q̃ iudicio contendere videtur. Ariſtoteles vero longe diligentius exponens: aſſerit adulatorum ſtudiis maxime aduerſari contentioſos quorum ea eſt natura: id etiam ſtudium: vt non modo non loquantur in aliorum gratiam: neq; gratificentur ipſi aliis: ſed contra vt aduerſentur: & vbiq; et in quibuſq; nemineniq; vereantur: in dicendo offendere: quinimo & afferant ipſi ſponte ſtudioſeq; contentiones: & ab aliis vltro accipiant: lætenturq; iis & fouendis: & exercendis: quibus etiam vita ipſa vel moleſta futura ſit: ni in cũctis vel dentes imprimant: vel infigant aculeos: vt ad contẽtiones: deſſidia: rixas atq; altercationes nati prorſus videantur. horum duplex mihi videtur eſſe partitio: nam vna eorum pars eſt: qui id agunt: vt commoda vtilitatemq; inde ſibi comparent. Altera vero: qui voluptatis tantum gratia: vtq; inuidentiſſimæ ſuæ naturæ: ac peruerſiſſimis cogitationibus morem gerant: hi enim ſunt: qui litigia: cõtrouerſiaſq; ſibi voluptatem ſtatuerunt. Itaq; hos ipſos litigioſos: ſeu litigatorios potius quis vocauerit: & aduerſos. Cõtentioſos autem illos volumus eſſe: qui maxime aduerſantur adulatoribus: nam quantum adulatores loquuntur in omnium gratiam: tantum hi nemini parcũt: ſtudentq; prorſus offendere. Ex his patet quid ſit ſermo difficilis: quid ve geſtus difficilis: eſt .n. ſermo difficilis: quo (vt Socrates inquit) odio magis q̃ iudicio contendere videmur. vel quo magis odiſſe: quam amare ſignificamus: aut quo vitia patefacere: virtuteſq; obtegere enitimur: in eo videlicet: cum quo contendimus.

Geſtus vero contentioſus: ac difficilis eſt: quo amplificamus ſermones ipſos contentioſos: ſiue admiratione: ſiue vocis acclamatione: ſiue motu quouis alio is agatur. Sunt autem ſermones huius modi difficiles: atq; contentioſi: alii ſalſi: alii inſulſi ſunt: qui cum nullam habeant voluptatem adnexam: aures audientium maxime offendunt. Salſi vero: qui cum contentioſi ſunt: ac difficiles: voluptatem aliquam tamen ſecum afferunt nam vt ſal ſaporem gignit in ferculis: & eduliis: ſic voluptas in contentioſis ſapidulum quid: & amariuſculũ habet: vnde ſalſi dici poſſunt.

Exempla Sermonum contentioſorum inſulſorum.

Cap. XX.

VT vero intelligantur ea: quæ diximus: exempla afferamus: & primo contentioſorum inſulſorum: Plato itaq; cum eſſet in colloquiis cum Dionyſio Syracuſano: expoſuiſſetq; vitam: ac propria ſtudia: Dionyſiuſq; dixiſſet eius vitam ſapere ſegnitiem: Plato ſic inſulſe reſpondens: dixit: & tua ſapit tyradinem. Cum Alexander præciperet Calliſtheni: vt adoraret eũ: ſic reſpondit: ſi deus es: beneficia largiri mortalibus: non ſua ipſorum debes eripere: ſi homo: id quod es: ſemper te eſſe cogita. Dionyſio inquirenti: vbi nam terrarum exquiſitius haberetur æs: Antiphon Sophiſtes reſpondit: optimum ſe noſſe Athenis: vbi ſtatuas habebãt Armodius: & Ariſtogiton Tyrannicidæ. Innuebat enim Antiphon Dionyſiũ eſſe dignũ: vt ab huiuſmodi hominibus interficeretur. C. Memmius Cæſari tãq; pathico ſtetiſſe dixit ad ciathũ Nicomedi Regis iter exoletos: Clito cũ iterrogaret ab Alexãdro de excellẽtia Philippi patris: inſulſe Philippũ Alexãdro ꝓpoſuit: & ob id ab Alexãdro

Plato cũ Dionysio

Callisthenes cũ Alexãdro

Antiphon cũ Dionysio

interemptus eſt. Camilla Rupha Ferdinando primo per tranſeunti pontem Campanum: cum non audiretur a Rege: iniiciens manus in equi frænum: dixit inſulſe: Rex audi me: aut renuas regium ſceptrum: nam erunt: qui libenter ſceptrum accipient: & audient omnes. Antonius quidam florentinus: Ferdinando primo denegāti ſibi expeditionē: ac ad Antonellum petrutianum trāſmittenti: inſulſe dixit: tria habes Rex admodū eximia: balnea puteolana: Campanum agrum ac Antonellum Petrutianū: Nam quum ægrotos Medici curare nequeunt eos ad balnea mittunt: Mulomedici quum equos reſtituere neſciunt: illos ad campanum agrum delegant: quum tu alicui negas expeditionē: ad Antonellum confugis. Vnum tamen admonendus eſt lector: ꝙ duplici hic appellatione ſalſe vel inſulſe dicta capiuntur: quandoq enim ſalſe dicta vocantur eo ꝙ non ſine ſale ideſt mordacitate ac dēte Theonino dicta ſint: interdum vero ſalſe dicta appellantur quia ſapienter ac nō ſine ſalis condimento (vt ita loquar) ſint prolata: licet non mordeant: conſimili ratione dicendum eſt de inſulſe dictis: Eſt etiam & illud animaduertendum plura exempla in ſequentibus ſub contentioſis accipi quæ non ſunt proprie contentioſorum: niſi quatenus ſalem quēdam ideſt mordacitatam ſapiant: cuius contentioſus ſermo ſolet eſſe particeps.

Exempla Contentioſorum Salſorum.

Cap. XXI.

CVm Pompeius Ciceroni illudens: q̄q̄ vultu fortaſſe hilariore dixiſſet: gener vbi nam eſt tuus: ibi Cicero: qui amarū: ac aculeatum ineſſe quoddā verbis illius intelligeret: reddidit illi in reſpondendo par: inquiens vbi & ſocer eſt tuus. Erat.n. Cæſar belli ſuſcepti & dux & author: quē Dolobella gener ſequebatur. Barca ad Annibalē: vicere ſcis Annibal: victoria vero vti neſcis: Diogenes

Diogenes ad Dionyſium Syracuſanum: viuis Dionyſi: tanq̃ multum vitæ indigens. victus Brutus in campis philippicis cum moneretur fugiendum eſſe prius: quã hoſtis adeſſet: tum ille fugiendum quidem: ſed manibus: non pedibus. Cum Aeſchines quæſiuiſſet ab amata amoris fructum: obiecit ei puella: ergo mihi mala vis: reſpondit Aeſchines: amantes omnia bona exoptãt amatis: præter mentẽ: & pudorẽ. multa alia adduci poſſunt: ſed de his hactenus. Ex his enim perſpicuũ eſt: quid ſit altera pars aulicæ virtutis: nam eſt affabilitas: qua quis in colloquiis affabilis ſe præbet: difficultas autẽ & adulatio ab aulica ipſa virtute: vt extrema omnino ſunt excludenda. his enim nõ aulicus: ſed vel cõtentioſus: vel adulator: dicitur homo. Quare cõtentioſus: & adulator a principis aula fugandus eſt: ille quidem quia grauis ac moleſtus eſt omnibus: hic vero quia ſimulatus amicus. Quia tamen in aulis admittuntur affabiles: atq; aſſentatores adulatoreſq;: difficiles vero repelluntur: diuiſionem ſermonum ſubiungemus: vt eligantur affabiles ac adulatorii ſermones: difficileſq; prætermittantur.

Difficultas & adulatio ab aulica virtute excludenda

Diuiſio affabilium: adulatoriorum: atq; difficilium ſermonum.

Cap. XXII.

POſt hæc diſſeremus: ꝙ ſermonum: ſint alii oblongi: prolixiq;: alii breues: alii mediocres. Dico ſermones ſiue fuerint extremi: quales ſunt: qui vel difficiles: vel adulatorii vocantur: ſiue ad medium fuerint accommodati: quales ſunt ſermones: qui affabiles dicuntur. horum enim omnium profecto alii breues: alii oblongi prolixis dicacitatibus conſtantes: alii mediocres videntur: quoniam licet pluribus articulis contexuntur:

non tamen plurimis clauſulis. Oblongi ſi neq̧ ad perſonam: neq̧ ad locum: neq̧ ad tempus: neq̧ ad modeſtiã: neq̧ ad cæteras circumſtantias: quibus conſtat delectus: rationem habent: inſulſi ſunt: ac difficiles magis. At ſi delectũ ſeruauerint: vt p̃ferantur & ſicuti oportet: & qñ & quantum oportet: modumq̧ in cunctis retineant: varietatemq̧ admiſceant plurimam: ſalibus: & iocis: & argutiis delectando: feſtiui ſermones dicuntur: nam vt feſti dies erant apud veteres: in quibus varia oblectamenta exercebantur: vt ludi: tibiæ: tubæ: cantus: choreæ: lectiſternia: templorum: theatrorum: porticuum: ac viarum apparatus: fercula etiam ipſa: ſic ſermones oblongi feſtiui dicentur: quaſi feſtis diebus digni: in quibus per multa varietas eſt ſalium: iocorum: ac argutiarum. Condientur enim his: veluti fercula ſale: ac ſapore: hoc enim pacto animus in ceſſationibus relaxabitur: atq̧ recreabitur eorum & principum & priuatorum: qui eos audiunt: non aliter quam indiebus feſtis animus eorum: qui multitudine negotiorum feſſi erant: renouabatur. breues ſunt: qui vno: vel duobus articulis: vnaq̧ clauſula conſtant: ſed cum ſale: argutiaq̧ contexti. vt ſermo Pompeii ad Ciceronem: (vt ſupra notauimus) cum dixerit Põpeius: vbi gener tuus eſt: reſpõdit Cicero vbi tuus ſocer. Inſuper & ſermo Neceſiæ ad Alexandrum: cum dixerit: quanto hæ muſcæ cæteris præſtant: quæ tuum ſanguinem deguſtant. & alius: qualis diuorum percurrit: corpora ſanguis. Adhuc & ſermo Diogenis ad Dionyſium: viuis Dionyſi tamquam multum vitæ indigens: & ſermo Barcæ ad Annibalem: vincere ſcis Annibal: victoria vti neſcis. Et ſermo Bruti fugiendum quidem: ſed manibus: non pedibus. et alii plurimi de quibus omnibus ſuperius meminimus. Mediocres vero exiſtunt: qui clauſulis pluribus: ſed non admodum multis componuntur: vt ſermo Calliſthenis ad Alexandrum: Si deus es: beneficia largiri mortalibus: non ſua ipſorum debes eripere. Si homo: id quod es ſemper te eſſe cogita: vt paulo ante dicebamus. Et ſermo noſter ad te PHAVSINA:

Crudelitatem pariter æqualem in te natura fecit: cum probitate: vt non poſſis: nec mortem: neq; vitam mihi dare. Hoc autem ideo verum eſſe probabam. quoniam cum velles mihi P H A V S I N A mortem afferre: tua probitas: quæ æquipotens crudelitati eſt: me tuebatur. cum vero vitam: crudelitas æquilibra probitati aduerſabatur: quare fieri non poteſt: vt abs te P H A V S I N A mortem aut vitam obtineam Et Alius Noſter ad eamdem: ſi dixero O P H A V S I N A te ſolem eſſe: mentiar: quia ſol extrinſecus me calefacit: tu vero intrinſecus corvris. Sin autem Numen: longe maiori errore irretitus ero: non enim eſſes tantorum bellorum cauſa: Dicat igitur amor: quæ nam ſis: certe ſcio eum dicturum nullam aliam te eſſe: niſi te: tibiq; vni ſimilem. Et alius noſter ad eandem: Amantes animaduertite: pulchrum: quod in puellis cunctis cernitis: id omne ex P H A V S I N A E Pulchro deriuatum eſt. Quod ſi nequaquam credideritis: eam diligenter inſpicite: Nam in ea tantum pulchri inuenietis: vt naturam: portiunculis quibuſdam ex illo detractis: Illuſtrem quamuis puellam aliam feciſſe cenſeatis: huius generis eſt, etiam ſermo noſter alius ad eamdem. Quod te O P H A V S I N A multo maiore beneuolētia proſequar: quā A N G E L E L L A M Vxorem: id ſit tibi argumento: quod locum mortis mihi cum vxore communem fecerim videlicet ſepulturam: in qua ſimul perpetuo condormiemus: mihi autem tecum locum vitæ: videlicet librum hunc: in quo vna ſemper conuiuemus comunicaui Prætermiſſis itaq; difficilibus ſermonibus: quoniam non recipiuntur in aula: nunc de locis affabilitatum aſſentationumq; communibus tranſigamus.

De locis Aulicis: quibus vitia obtegimus.

Cap. XXIIII.

QVoniam adulamur vt amicos ac beneuolos nos eſſe oſtendamus; & hoc facimus: aut virtu tes amplificando: aut vitia obtegendo eius: cui aſſentamur: aut amorẽ ſimulando erga eum cui adu lamur: ideo de locis obtegendi vitia dicamus primo: attinet enim hoc ſi cum delectu fiat: ad aulicum affabi lem: ſi autem ſine delectu: ad aulicum aſſentatorem ſpe ctat. Quorum primus locus eſt ab his: quæ licet defece rint a medio: propinqua tamen videntur mediocritati: hoc pacto eum: qui natura animi mitioris eſt: aſſentan do: moderatum: timidum vero ac inſenſatum: bonum & frugi: eum vero: qui dolorem animi nõ ſentit: man ſuetum dicemus: eum qui fœdis amoribus eſt deditus: comem: & amantem. vilem abiectiq; animi hominem humanum. quemadmodũ ſcribit & Plato. Amans quũ adulatur iis: quas amat: eam quæ ſimis eſt naribus: ama bilem: quæ naſo ſit adunco: regalem; quæ nigræ ſunt: viriles: quæ candidæ: deorum filias appellare conſueſcit. hæc nimirum res ſiculos ſubuertit: ꝙ Dionyſii: Phalari diſq; crudelitatem: iuſtitiam & ſceleratorum odium vo caret adulatores. Eadem Egyptum perdidit: ꝙ Ptolemæi muliebritatem: afflatus: eiulatus: liliorum ac tympano rum inſulturas: religionem deorumq; cultũ appellarent. Eadem romanorum mores tam integros ad nihilum re degit: ac ſubſtulit: ꝙ Antonii delitias: libidines ac perdi tos luxus: ita blandientes extenuarent: vt humanitatem & hilaritatem vocarent: indulgẽte illi potentia fortunaq;. Ego quoq; quũ puella quædã rudis eſſet nec interroga tis reſpondere ſciuiſſet: dum ſæpius vna colloqueremur: aſſentando laudabã eam ex taciturnitate. Deinde alius lo cus accipitur a cõcomitantibus: quæ licet vitia ſint: tamẽ in bonam partẽ trahẽda ſunt. vt quoniã magnanimitatẽ

comitari ſolet iracundia: & furor: poterimus aſſentando principem iracundum ac ferocem dicere Magnanimum. vt Zopyrus fecit apud Darium: cum .n. eum iratum cerneret contra milites: videte inquit Darium q̃ Magnanimus ſit. Alius deinceps locus ab iis quæ medium excedunt: hoc pacto Amurcus aſſentator: Conſaluum Ferdinandum in colloquiis demulcebat: cum enim ille vteretur prodigalitatibus erga ipſum: alioſq; complures: aſſentando exclamabat: pro quam liberalis vir eſt hic. Appollophanes cum cerneret Antigonum ferocire aduerſus Pamphilum ſuum Centurionem: coram plurimis exclamando dixit: videte fortitudinem Regis. Quartus a caſu vel fortuna factis: q̃ egerit prudentia: ac conſilio. vt ſi princeps caſu non nihil magni fecerit: aſſentando dicere poterimus conſulto: ac prudenter egiſſe. ſunt .n. hæc propinqua ac ſimilia. hoc pacto cum Ferdinandus iunior ab equo ſupra pedes erectus cecidiſſet: Franciſcus pandonus mira prædicabat de ſaltu Regis. Poſt hæc ab extraneis locus eſt etiam: cum enim idẽ Franciſcus cerneret iuniorem Ferdinandum medrocriter equitare: aſſentando dicebat: Rex iſte eſt talis genere: vt hæc aut longe maiora poſſit facere. Cum nos admiraremur PHAVSINAE formã: hæc verba protulimus: quonam pacto poteras tu eſſe turpis: ſi aua tua omnium fuerit pulcherrima. Cum in Ammonis templum veniſſet Alexander: ſacerdos grandæuus illum ſalutauit: ſalue fili: & hanc appellationẽ a deo habeas: tunc Alexander accipio eam o pater: & poſt hac patiar tuus dici: ſi mihi totius orbis dominium conceſſeris: ſacerdos recepit ſe intro: & quaſi conſulto deo reſpondit Iouem certe promittere: quod peteret. hic Alexander: ſcire cupio num quis ſuperſit inultus eorum: qui patrem meum interfecerũt: ad hæc ſacerdos Philippi inquit interfectores omnes dedere pœnas: ſed patri tuo nemo mortalium poteſt tendere inſidias: ſignificans illum eſſe Iouis non Philippi filium: eſt adulatorius locus a parentibus. hæc pro exemplis ſufficiant.

De locis Aulicis: quibus virtutes amplificamus.

Cap XXIIII.

QVoniam etiam adulamur nonnunq̃ principibus: qui re vera virtute præditi ſunt: amplificando eorum virtutes: opus eſt tradere locos: qui accipiuntur ab amplificatione: quorũ primus eſt: ſi dixerimus eum vel ſolum: vel cum paucis virtutis opus perfeciſſe. Cũ quidam voluiſſet laudare Cleomeni cantoré quemdam: aſſentando cantori dixit eum eſſe cantorem inter græcos ſolum: ſecundus locus eſt cum dixerimus principi: qui opus aliquod virtutis fecerit: eum id feciſſe quo ad fieri potuit: leue.n. non nunq̃ magnum eſt: ſi fit modo: quo maxime fieri poteſt: veluti cum equitaſſet Philippus: Cliſophus ore rotundo exclamando inquit: nec melius nec concinnius fieri potuit. Adhuc ſi affirmauerimus eum primum feciſſe: etiam amplificandi locus eſt. Patroclides aſſentando Philippo dicebat eũ primũ fuiſſe: qui equos aleret: Inſuper ſi dixerimus eum pro tempore egiſſe amplificatiuus locus eſt: nam licet quãdoq; aliquid ſimpliciter magnum non ſit: pro tempore tamen factum magnum exiſtimari poterit: hoc pacto Cliſophus aſſentando Alexandro cum bellica facinora: quæ geſſerat. prædicaret: dicebat: non modo pro ætate eſſe magna: ſed quæ nullus vnquam aggreſſus eſſet. Ruſus ſi dixerimus eum non ſemel: ſed ſæpius egiſſe: etiam locus amplificandi videtur. Cum Lechadus laudatus eſſet a quibuſdam: ꝙ arcu ſignum attigiſſet: Critias aſſentando dixit: nec ſemel illud. Poterimus etiam aſſentando amplificare: ſi dixerimus ipſum: quod princeps egit: feciſſe ex prudentia: quamuis alio modo fecerit. veluti cum Neceſias videret Alexandrum cum ſuis militibus retrocedere: dixit id prudenter egiſſe: vt vehementiore aggreſſu hoſtem inuaderet. Archidamidas vero dixit: periti bellatoris eſſe nõ minus ſcire fugiẽdi artẽ: q̃ pugnãdi peritiã. Si primus omniũ laudatus ſit amplificatorius

locus eſt: vnde Sarmentus adulabatur Auguſto: ꝙ pater patriæ fuiſſet appellatus primus. Amplificare præterea poterimus aſſentando: ſi principem in agendo comparabimus Illuſtribus vel viris: vel beluis: vel diis. hoc pacto Grauina aſſentãdo Proſpero Columnæ qui in colloquendo verba quædam protulit non imperita: dixit: hæc numinum ſunt verba. Et alias eius bellica laudabat geſta aſſentando: cum diceret Cæſarea eſſe cuncta. hæc pauca ſufficiant: Illud vero non ignorare debes quæcunqȝ loca fuerint laudis: aſſentatoria fieri: cum vel virtutem amplificant: vel vitia obtegunt. affabilia vero: cum delectus ſeruatur. Nam qui laudat actiones principis vt per debitas laudes: illas augeat: atqȝ pro loco: tempore: perſona: ac pro aliis omnibus: quibus honeſta affici ſolent afferat: non aſſentator: ſed affabilis eſt. Ad hæc ſi vitia quis obtegerit delectum ſeruando: aut quia nõ eſt ſuum illa publicare atqȝ decernere: non aſſentator: ſed affabilis merito haberi poteſt.

De locis aulicis affabilibus: atqȝ adulatoriis: qui ſũmuntur a ſimulato amore: & primo ab imitatione.

Cap. XXV.

QVoniam etiam ſermones: res: ac geſtus affabiles: vel adulatorii ſunt: quibus ſignificamus (vt Simõ inquit apud Lucianũ in Tichiade) amorem erga regem: vel principem: cumquo verſamur: congredimur: atqȝ conuiuimus: (ſic. n. captatur reciproca beneuolẽtia) ideo exemplares quoſdã locos enitemur tradere: quibus facile affabiles: vel adulatorii principibus eſſe poterimus: diximus vero quoſdam: quoniã omnes tradere per ſpẽm eſt ĩpoſſibile: quippe cũ ſint infinitĩ per genera autẽ nõ erit cõtra artẽ. nã numero poſſunt definiri et primo a ſimulato amore: q accipiꝰ ab imitatione

itaq; Cliſophus Philippo adulando (vt toties repetiui-mus) claudum ſe fingebat: q̄ Philippus crus fractum haberet: eſt locus iſte ab amore ſimulato: qui accipitur ab imitatione: quæ eſt in morbo. hac .n. Cliſophus captan-do beneuolentiam: demonſtrabat ſe Philippum amare: Franciſcus Pādonus (vt antea dicebamus) os: oculoſq; contorquebat: quoniam huiuſmodi geſtibus videbat Ferdinandum iuniorem affici: vt imitando eius amorem ſimularet. Chariſophus (vt ſupra adnotauimus) cum vi deret Dionyſium ſeparatim ridentem: ipſe procul etiam ridebat: ſimulando amorem ex imitatione geſtuum. Le ontius ardenter amans Porphyriam eo veſtium colore vtebatur: quo Porphyriæ veſtes coloratæ erant: quod etiam antea tetigimus. & cum Porphyria eſſet chorea-trix: ipſe quoq; choreas ſemper exercebat: vt imitatione demonſtraret amorem. Dionyſio cæcutiente: adulato-res illius alius in alium impingentes: & patinas intercœ nandum deiicientes: ſimulabant & ipſi cæcutientiam: vt imitatione amorem patefacerent. Sic itaq; aſſentator intemperantiam: ſuperſtitionem: iracundiam: acerbi-tatem in famulos: diffidentiam erga domeſticos & co-gnatos. ſuſpecti ſunt enim: qui quæruut meliora: quiq; amicorum erratis offendi: eaq; ægre ferre videntur: quæ quidem res & Dionyſio Dionem: & Samium Philippo: & Cleomenem Ptolemæo ſuſpectos & inuiſos reddidit. Adulator autem ſimul & iucundus: videri: & fidus deſi derat: quaſi præ magnitudine amoris malis non offenda tur: quinimo in omnibus iiſdem ducatur affectibus: & ingenio conſentiat. quin & ſimili morbo teneri ſe fin-gunt: huiuſmodi homines aſſentantes ægrotantibus: & nec acute cernere: nec audire: ſi cum luſcis ac ſurdaſtris agant. ſi quidem ſimilitudo facit: vt magis affici: tangiq; videantur amici malis. Ego vidi quendam qui vxorem ſuam eiecerit: quoniam eius princeps ſuam repudiarat. ſed vt rem in pauca conferam: adulator quo delectet: ni-hil non faciendum ſibi putat. imitatur enim in idioma-tibus: in veſtibus: in actionibus: in profeſſionibus: in morbis: atq; cunctis in rebus: in quibus imitatio eſſe

poterit: vt imitationibus etiã ſimulet ſe beneuolum atq́ amicum eſſe principi.

Secundus locus ex eo: ꝙ quiſpiam vinci profiteatur.

Cap.XXVI.

EST inſuper alius locus: quo quis poterit ſe amare principem ſimulare: qui accipitur ex eo: ꝙ quiſpiam vinci profiteatur aut in deſceptationibus: aut in gymnicis pugnis: aut in quibuſcunq́ alter vincere: alter vero vinci poterit. Nam ſi quis etiam imitetur honeſtum in eo: quem aſſentando captat: ſi tamen illi cedit victoriam: adulator eſt. Aſſentator enim cui ſemper curæ eſt: ſecundas agere partes: ſic imitatur æqualitaté: vt ſuperetur. ſitq́ inferior omnibus in rebus præterq̃ in malis. non .n. in malis concedit illi primas. verum ſi princeps fuerit moroſus: ſe ſe prædicat atræ bili obnoxium eſſe. ſi ſuperſtitioſus: ſe dicit numine quopiam afflari: rapiq́: ſi princeps amarit: ſe dicit inſanire. immodice inquit riſi: at ego reſpondet præ riſu diſrumpebar. in bonis autem rebus contra facit: nam ſe quidem ait currere velociter: ſed eum volare: ſe quidem equitare: ſed quid inquit ad hunc Hippocentaurũ? ſic .n. Criſſon Himeræus curſu contendens cum Alexandro: data opera vincebatur: quod quidem ſentiens Rex: indigne tulit: Nicolaus Monfortius Magnus in Hippomachicis certaminibus magiſter: cum exerceret ludum hippomachicum cum Rege Ferdinando Primo: mira induſtria: artificioſaq́ permittebat ſe vinci ab eo aſſentandi cauſa: ſic Patroclus Achillis induens arma: & eiuſdem currum in pugnam agens ſolam haſtam peliacam nõ auſus eſt attingere: ſed hanc omiſit. ſic .n. adulationem agebat: cui ſemper ſecundas partes agere curæ eſt.

Tertius locus a ſimulata loquendi libertate.

Cap. XXVII.

QVoniam verus amicus eſt: qui libere vitia ſui amici reprehendit:atq; obiurgat:hinc ortus eſt locus adulandi ex ſimulata libertate loquendi: Nam cum aſſentatores obiurgandi libertatem his admouent partibus: quæ non dolent: neq; moleſtiam afferunt: in magnis vero ac veris peccatis nihil ſe ſcire:ac intelligere ſimulant: captare videntur amorẽ: præſertim ſi ad errata leuiſſima: nihil ad rem pertinentia: mire concitentur: magnoq; clamore: & acrimonia intonent: vt ſi quod vas neglectum iacere conſpexerint: ſi quem parũ ſpelndide habitantem:ſi parum diligenter a tonſore curatum:ſi togam ſordidam:canem: aut equum negligenter habitum viderint. at parentum contemptus: liberorum neglectus: vxoris contumelia: faſtus in familiares: inutilis pecuniarum aſſumptio: nihil hunc mouent: in his elinguis eſt: in his timidus: perinde atq; Aliptes: Athletã inebriari: ſcortariq; ſinens. Ad hunc modum adulatores: quum diſcendi cupiditas Ptolemœum inceſſeret: de lingua:de verſiculo: de hiſtoriola contendentes ad mediam vſq; noctem reluctabantur. at vero ſæuienti: ferocienti: tympanis vtenti: vectigalibus oneranti populum: nullus e tam multis obſiſtebat. Ex eodem loco non nulli his aſtutiores ipſa reprehendendi libertate ad gratiam:ac voluptatem vtuntur: quemadmodum Agis Argius Alexandri adulator: cum Alexander ridiculo cuidam ingẽtia daret munera: præ inuidia ac dolore exclamauit: o rem vehementer abſurdam. at cum Alexander ira percitus conuerſus ad illum dixiſſet: & quid tu tandem ais? fateor inquit: me moleſte fere: & indignari:cum videam omnes e Ioue progenitos æque adulatoribus: ac ridiculis hominibus delectari:ſi quidẽ & Hercules Cecropibus quibuſdam: & Bacchus ſilenis delectabatur: & apud

te videre licet huiuſmodi homines magni fieri: Cũ aliquando Tiberius Cæſar in ſenatum veniſſet: aſſurgens adulator quidam: ait hominibus liberis libere loquendum eſſe: nihilq; metu diſſimulandum: neq; quicquã reticendum eorum: quæ ad publicam vtilitatem pertinent. his verbis cum omnes excitaſſet: factoq; ſilentio: & ipſo etiam auſcultante Tiberio: Audi Cæſar inquit: in quo te quidem culpamus omnes: & ſi nemo palam audet dicere: negligis te ipſum: corpuſq; tuum exponis pro nobis: ſollicitudinibus: & laboribus illud conficiens: nec inter diu: neq; noctu quieſcens: huiuſmodi multa cum ille dixiſſet: aiunt oratorem caſſium ſeuerum ſubieciſſe: iſta libertas hunc hominem exitio dabit. At hæc quidem leuiora ſunt: perículoſa vero cætera quæ omittunt. vt Himeræus Athenis luxurioſis ac profuſis parſimoniam ac ſorditiem exprobrabat. veluti Neroni Titus Petronius etiam faciebat: ſic quoq; cum Antonius Cleopatram Egyptiam ardenter deperiret: adulatores reprehendebant: quod non eſſet illius amator ardens: qui huiuſmodi gaudens accuſatione accuſatores illos ſummo amore complectebatur: talis obiurgandi libertas: ſimilis eſt laſciuientium mulierculaꝛum morſibus. excitat enim multum: ac titillat: & hoc ipſo quo dolorem mouere videtur: delectat. Itaq; callidi quidam intelligentes liberam admonitionem efficax eſſe remedium aduerſus adulationem: ipſi libertati mouendi adulationem admiſcent. Qua ratione fit: vt nec Bias recte dixiſſe videatur: cum interroganti quod eſſet animal omnium maxime noxium: reſponderet: inter immitia Tyrannus: inter mitia adulator: verius enim dixiſſet: ꝙ inter adulatores manſueti ſint hi: qui in balneis: & circa menſas verſantur. At vero qui in penetralibus: & gynæciis curioſitatem: calumniam: malitiam: perinde ac ſi retia quædam intendit: hic immitis: ac ferus: & intractabilis exiſtit.

Quartus locus a blanda iucundaq́ placiditate.

Cap.XXVIII.

EST præterea alius locus: quo quis poterit ſe amare principem ſimulare: cum ei iucunde blandeq́ in colloquiis placidus eſt: quem locum Ariſtoteles inſinuauit Calliſtheni ad Alexandrum a ſe miſſo: cum dixiſſet: vt raro Alexandrum alloqueretur: & non niſi acerſitus: atq́ iucunde. Quo loco Antonius Rogerius familiariter vtitur: vnde cum famulus Ferdinandi Illuſtriſſimi Salernitanorum Principis me illius nomine accerſeret. eiq́ recuſarem acceſſum: ob PHAVSINAM (quæ apud principē erat) aſſerens q̄ eſſet me lethaliter ſauciatura: Antonius Rogerius (qui mecū in colloquiis erat) exurgens eamus inquit: nam ſi pro tuenda tibi vita ſemper mortis periculis me expoſui: nunc compellor (vt principi pareamus) te ad mortem comitari. profecto ſermo iucundus atq́ affabilis propter PHAVSINAM dictus: quæ ſua pulchritudine cunctos ſautiare videtur: & ob principem: cui affabilem ſemper enititur ſe oſtendere. ad hunc locum reducuntur illi: qui cum ſenſerint principem querulum q̄ infœcundam duxerit vxorem: aut de filiis: vel domeſticis male ſuſpicari: ipſi ſuis non parcunt: ſed queruntur de liberis propriis: aut vxoribus: aut cognatis: aut familiaribus: vt ſimilitudine malorum videantur placidi principi: atq́ beneuolentiam captantes. hoc pacto Melanthius Alexandri pheræi adulator interrogatus quo nā mō fuiſſet interfectus Alexander: per coſtā inquit in meum ventrem: ſic.n. illius poſteris adulatus eſt: ac filiis. hoc pacto adulatur: qui: ſi iraſcitur princeps: vlciſcere inquit: ſi ſuſpicatur crede inquit: ſi concupiſcit: fruere: ſi timet: fugiamus inquit. Petro quoq́ Grauinæ viro diſertiſſimo peculiaris erat locus iſte: vnde cum Proſper Columna prohibuiſſet eum aſſentationibus vti: cum poſtea eſſemus in colloquiis: aſtante Hieronymo Carbone: forte proſper quendam

ſalſum protulit ſermonem : illico Petrus inquit : niſi me prohibuiſſet Proſper : ad cælum exclamarem ac dicerẽ: numinum eſſe iſta verba. Itaq; negando aſſentationem: aſſentatus eſt placidis: vt ſolebat: verbis yſus.

Quintus locus ab obſequiis.

Cap.XXIX.

QVoniam vero amicus eſt:qui videtur impiger ad omnia quoq; promptus : nihilq; recuſans : qui principi ſe talem oſtendit : cum re non ita ſit : adulator erit. nam vt veritatis teſte Euripide : ſimplex eſt oratio : ſic & amici mores ſimplices ſyncæri: fucoq; carentes eſſe debent. At adulatoris mores:qui per ſe morbidi ſunt: multis ac doctis indigent pharmacis : atq; valde nouis & exquiſitis. Ideoq; ſæpius excuſant ſe ſe teſtibus adhibitis: & ſponte iure iurando interpoſito : hoc adulandi loco campani Oratores Terẽtio varroni: poſtq̃ exercitus ab Annibale apud Cannas extinctus eſſet : vſi ſunt: cum nomine campanorum multa ſe facturos pollicerentur : quibus Terentius Romanis inquit nunc ab amicis non opus eſt pollicitis : ſed tritico & numis : per quæ declarauit campanos fuiſſe adulatores:non amicos. Non ſic Ageſilaus erga Apellẽ Chium : cum ægrotaret: ſe habuit:nam cum eum egere cõgnouiſſet:reuiſit hominem: & decem drachmas afferens atq; aſſidens proxime: ſic inquit: nihil eſt præter Empedoclis elementa videlicet hæc: ignem & aquam : terramq; & ſphæras ætheris alti: ac ne cubas quidem ſatis commode: ſimulq; mouens illius ceruical : clanculum pecuniam ſubiecit: quam ſimulatq; reperiſſet anicula: quæ inſeruiebat ægrotanti : & admirans quidnam eſſet Apelli retuliſſet : ridens ille Ageſilai inquit hoc furtum eſt . Qua ratione fit vt adulator moleſte inſeruiat:ſed polliceat̃ facile. Amicus vero contra facile ſeruit : non tamen facile pollicetur . plura alia loca addere poſſem . ſed hæc pro exemplis ſufficiãt.

fuerunt autem hæc loca communia: affabilitatibus: placiditatibus: ac adulationibus: ſi bene conſiderentur: tamen inter has differētia eſt nō parua: quoniā affabilitates ſunt: quæ delectu conſiſtunt: adulationes vero ſine delectu: placiditates autem ſunt: naturæ bonitate: vt diximus. ſunt inſuper affabilitatibus cōmunia: quoniā licet affabilitates diſtingui poſſint: vt. 2. libro perſpicuum erit: hic tamen communia loca confecimus: quibus affabiles homines communiter principibus eſſe poſſint. Inſuper quia amantes ſunt vel adulatores: vel placidi: vel affabiles: amatis puellis: ideo differendum eſt: conueniant ne amatoria colloquia aulicis viris cum aulicis puellis:

Num colloquia amatoria aulicis conueniant cum puellis: & demonſtratur ꝙ ſic pluribus argumentis.

Cap. XXX.

POſt hæc non parua res eſt definire conueniant ne aulicis cum puellis amatoria ipſa colloquia? in his enim poſſumus eſſe affabiles: ac adulatores: quare conuenire videntur: Qui hodie ſcribunt de aulicis: maiorem partem rerum aulicarum conſtituunt in amatoriis colloquiis cum eis puellis: quæ & ipſæ quoq; aulicæ ſunt: immo finem quaſi rerum aulicarum in his collocant: eaq; vel ſola aulicaria: vel in primis eſſe arbitrantur: Accedit ad hæc ꝙ principibus non modo verbis: ſed etiā imitationibus aſſentamur: vel affabiles videri poſſumus. vnde Cliſophus Philippi Macedonis aulicus claudum ſe fingebat. (vt ſæpe numero diximus) ꝙ Philippus crure fracto claudicaret: hoc enim geſtu affabilis reddebatur Philippo. Nam ſicut mendatium iocandi cauſa non eſt contra bonos mores: ita ſimulatio eſſe poteſt affabilis: modo ſit procul a vitio. poterimus itaq; fieri principibus affabiles: cum puellarum amore nos eſſe accenſos ſenſerint: vel quia ipſi quoq; ſic agunt: vel quia gaudent atq; affectāt aulicos aulicaſq; ipſas mutuo ab amore

interdum diſiungere: interdum reconciliare. Pompeius Columna decus principum: cum cognoſceret me aliquã ex aulicis puellis deperire: tanto gaudio: tantaq; voluptate afficiebatur: vt nulla maiore teneri potuiſſet: idq; eo magis: quo toto ſtudio: nunc rixas: iraſq; : nunc amores interſereret: quod etiam tanto gratius: quo vehementius admirabatur: me ſenem igne vri iuuenili: & (quod potiſſimum erat) nunc me ſimulare: nunc autem vere deperire arbitrabatur: ita vt anceps eſſet ſemper. videtur igitur hæc aulica eſſe: tum pro oblectamine principis: tum quia fieri poſſunt: affabiliter: atq; ſecundum delectum: Platonici etiam viri non paruæ authoritatis: non modo colloquia hæc concedunt: ſed amorem duplicem: diuinum: quo puellas amamus aſcendendo ab ipſis ad deũ: & humanum: quo non deſcendimus in cupidineum cõſtituunt: q͂ ſi amor eſſe poterit: cur non & amatoria colloquia: potiſſimum cum per ea reddamur principibus non numquam affabiles: atq; aulici? ſed res hæc (vt mihi videtur) vniuerſa pendet ab ea queſtione: qua quæri ſolet: poſſint ne aulicæ aulicíq; ipſi mutuo ſe amare ſine veneris prurítu: nam ſi dixeris eos id poſſe: concedere quoq; cogeris inter eos amatoria colloquia affabiliter eſſe poſſe ſine veneris flammis: Quare hæc aulica eſſe nemo dubitare debet. Quod vero talia inter hoſce eſſe queant: ſine obſcæno titillatu libro de pulchro diſſeruimus. Nunc vero de colloquiis tantum diſceptemus.

Reprobatio Superioris Opinionis

Cap. XXXI.

Mihi autẽ videtur fieri nõ poſſe: vt ſine veneris ardore amatoria colloquia inter aulicos aulicaſq; ipſas cõtingere valeãt: q͂ ſi ea abſq; turpi appetitu

ſieri nequunt: ad affabilitatem: (quæ virtus eſt:) minime attinere videntur. Quippe cum nulla virtus cum aliquo vitiorum ſe cõmiſceat atq; communicet. Id autem ita eſſe Hieronimus demonſtrat:dum inquit: fœminam: quam vides bene conuerſantem: eam dilige: non corporali frequentia.quia initium libidinis in viſitatione mulierum eſt. Et mundus cum mulieribus non melius: q̃ fugiẽdo vincitur. quia cum cæteris vitiis:& morbis quis poſſet repugnando reſiſtere: huic tamen non poteſt: niſi per fugam . & alibi: ſi mulier potuit vincere eum: qui iam erat in paradiſo:non eſt mirum:ſi eos impediat:qui non dum ad paradiſum peruenerunt. Præterea ſolus inquit cum ſola ne ſedeas in ſecreto abſq; arbitro: & teſte: & iterum nec ſub eodem tecto cum muliere manſeris. nec in preterita caſtitate confidas: quia nec tu Sanſone fortior:nec Solomone ſapientior. Concludit itaq; omnes Virgines Chriſti & puellas: aut æqualiter dilige: aut æqualiter ignora. Diuus vero Aurelius idem probauit: quum inquit: ſermo breuis: & rigidus cum mulieribus eſt habendus. Bernardus quoq; omni ſanctitate pre clarus: quottidie inquit conuerſaris cum muliere: & continens vis putari? eſto quod talis ſis: maculam tamen ſuſpitionis portas: ſcandalum mihi es. Quare hæc colloquia aulicorum cum aulicis puellis amatoria videntur omni ex parte reprobanda: & a bonis probiſq; principibus omnino exigenda.

Quæ Horatius de Aulicis
Amatoriis colloquis.

:Cap.XXXII.

VNde Horatius vir doctiſſimus non omni ex parte hæc explodens ab aulis principum: quæ diximus vera eſſe fateť de iuuenibus. Nã (vt inquit) ſenes ſemimortui: qui ſexaginta annos adimplerunt

colloqui

colloqui poſſunt cum aulicis ipſis puellis: conuerſariq; ſine appetitu venereo. propterea affirmat zelotypia eius viri non affici: cuius ætas octo luſtra adimpleuerit. ſunt enim ſemimortui: qui nulla cupidinea appetitione vexantur: propterea aulicos ſenes venire poſſe vſq; in baſia probant non nulli.

Reprobatio huius Opinionis.

Cap. XXXIII.

SEd aduerſus huiuſmodi opinionem ſunt viri ſanctiſſimi: ac exempla virorum ſenum probatiſſima. Hieronymus licet horum inquit corpora ſint mortua: dico tibi: quoniam diabolus viuit: cuius flatus prunas extinctas ardere facit. Seneca quoq; vir doctiſſimus in tragœdiis inquit.

Nouit hos æſtus Iuuenum feroces
Concitat flamas: ſenibuſq; feſſis
Rurſus extinctos reuocat calores.

Aurelius quoq; nec tamen inquit quia ſanctiores fuerint ideo minus cauendæ: quo enim ſanctiores fuerint: eo magis alliciunt: & ſub prætextu blandi ſermonis: immiſcet ſe viſcus impiiſſimæ libidinis: crede mihi. Exempla contra hanc opinionem ſunt plurima: ſed duo ſufficiāt: quorum prius Proſper Columna Illuſtris exercituū Dux nobis affert: qui cum in Gallia ciſalpina caſtra haberet ſub Caroli. vi. victrice Aquila: agens. lxx. ætatis annum amare cœpit claram biſcontiam amore ſenum: qui magis conuerſationum eſſe ſolet quam libidinis: cum tamē ipſe continentiſſimus foret: & cum paſſim in colloquiis cum ea quotidie verſaretur: tanto amore affectus eſt tandem vt vſq; ad inſanias apertiſſimas deueniret. Sumus & nos omnibus exemplo. nam vt voluptate afficeremus Pompeium Columnam: qui in huiuſmodi nos amoris rete implicitos videndo ſumopere delectabatur: ſimulauimus perditos cum QVINTIA amores: & ne ignores Quintiam: hanc a cunabulis Hippolitam

nuncupatam ſcias: quæ cum aulica ac cubicularia fieret Hippolitæ Aragoniæ venaphri comitis:ne eodem nomine appellarentur ambæ:Lucretiam mutato nomine eam dicebant:quam nos Quintiam poſtea vocauimus:quod ſcilicet eſſet quinta in amore: cum hac igitur amores ſimulando: ſæpe colloquendo: cõgrediendo: atq; amores deſcribendo: quottidie conuiuebamus: Creuit amor tandem adeo vt non ad inſanias modo ſed ad morté compelleret.nec immerito quidem: nam ea erat: eſtq; etiam nunc frontis:oriſq; ſerenitas:is candor:is oculorum ſplédor:ac rutilás iubar:ea deniq; totius corporis ſpecies: gratia: ac venus: vt nõ modo ſenes: ſed vel ipſi mortui ſuſcitentur alliciantur q; ad amorem: tanta quoq; ipſi cum venuſtate pudicitia:mores ſuauitas:comitas:atq; affabilitas ineſt: vt mundi ſpeculum: ſiduſq; fulgentiſſimum merito ſit cenſenda. Recte igitur Seneca amorem cogere & virgines & numina (ſi fas eſt more gentium loqui) tradit: cum inquit.

Virginum ignoto ferit igne pectus:
Et iubet cœlo ſuperos relicto
Vultibus falſis habitare terras.

Ex iis apertũ eſt colloquia amatoria inter aulicos auliceſq; ipſas deteſtáda eſſe & a proborum principum aulis eliminanda:ſed quoniã venit impuriſſimus vſus: vt iam in aulis hæc eſſent probata: immo vt ambitioni principibus exiſtãt:declarare opus eſt:quouſq; permittéda ſunt: & qua ratione affabilia eſſe poſſint.

Vſq; quo amatoria colloquia in aulis permittenda ſint. Cap.XXXIIII.

QVoniã res hæc (vt dictũ eſt) tota exoritur ex ea queſtione qua quæri ſolet: poſſint ne aulici auliceq; ipſe ſine immũda cupidine mutuo ſe amare: nã ſi dixeris poſſe:concedere quoq; cogereris ſine appetitu veneris colloquia amatoria affabiliter eſſe poſſe vel ab ea qua quæri ſolet: ſit ne ſemper pruritus veneris

deteſtandus: ideo dicamus non ſemper venereũ titillatũ qui cupido eſt: eſſe execrandũ: ſicuti nec appetitũ cibi: vel potus: amor itaq; qui eſt venereæ rei: quo quis amat puellã: vt in vxorem ducat: ſi metã non exceſſerit: neq; eſt præter leges: non eſt fœdus: nec illaudabilis. Dico ſi metã non tranſierit: quoniã etiam ſi puellã amauerit: vt in vxorẽ ducat: ſed ardentius: q̃ cõueniat: nõ laudatur. vnde Hieronymus authore ſexto adulterũ tradit eſſe eũ: qui vxorem ſuã ardentius amat: q̃ deceat. ꝙ ſi nõ laudatur immoderatus amor erga vxorẽ: quanto minus erga puellã: quã amat vt in vxorẽ ducat. colloqa itaq; amatoria: quæ fiunt appetitu cõiugii: nõ vituperarẽ; inter aulicos aulicaſq; ipſas ſi cũ delectu fierẽt: hoc eſt: qñ oportet: loco: & tẽpore: quibus oportet: modo ac ratione: quibus decet: atq; omnibus circũſtãtiis ſeruatis: quibus officioſi actus terminãtur: atq; conſtituuntur. ſecus vero: quũ aguntur: aut clam: aut crebro: aut alia ratione: q̃ fieri debeant: deteſtabilia enim ſũt: atq; ab aulis proboꝝ principũ arcenda fugãdaq; Quare qui hodie de aulicis ſcripſerũt: docuerunt colloquia lenonia atq; meretricia: quæ honeſti atq; religioſi principes permittere nõ debent: eo vero pacto quo nos diximus: nec improba: nec inhoneſta eſſe queunt. Et de prima aulici parte: quæ affabilitas eſt: & de aſſẽtationibus ac adulatiõibus: quæ recipiũtur inter aulicaria: licet ipſæ aulicæ re vera nõ ſint: dictũ ſit hactenus. poſt hæc de vrbanitate: quæ altera aulici pars eſt admodũ præcipua diſſerẽdum.

De vrbanitate.
Cap. XXXV.

VErſatur itaq; vrbanitas (vt ſuperius diximus:) circa ſermones & geſtus: qui ſunt in iocis ac ludis: iocus autẽ ac ludus nõ ſunt ſuapte natura mali: quia tũc circa eos nulla eſſet virtus: At cũ ludus iocuſq; ipſe humanæ vitæ admodũ vtilis ſit, icc irco circa eos virtus eſſe poteſt. Quod autẽ ambo vtiles ſint: ex eo patet: qm̃ quemadmodũ homo i corporis laboribus ceſſatiõe indiget: vt requieſcat: recreeturq;: ita & animus i ſeriis relaxatiõe

indiget: qua requieſcat inſtauretq; vires: Quæ res cum ludis: ac iocis perficiatur: fit: vt ludi ac ioci etiam rationem ſubeant. Quare in ſermonibus ac geſtibus: qui in ludis iociſq; conſiſtunt ad animum relaxandum: poſſűt eſſe extrema & medium: nam qui in ridiculis exuberant: ſcurræ ſunt: ac importuni: affectant enim omnino ridiculum: coniectantq; magis riſum facere: quam honeſte loqui: & magis non afficere aliquem dolore: quam facete dicere: Qui vero nec ridiculi quicquam dicunt: nec alios dicere patiuntur: ruſtici ſunt ac duri: vel agreſtes: rudeſq;: quaſi non molliantur ludi ac ioci voluptate. At qui cum moderatione iocantur verbis: aut geſtibus ludunt: & vtrunq; cum delectu: hoc eſt: ſicuti oportet: & quando oportet: & quantum oportet: modumq; in cunctis retinet: ne aut nimia ſit eorum iocatio: luſuſq;: aut remiſſior: vtq; & loci meminerint: & perſonarum: ac rerum etiam ipſarum: hi vrbani: facetiq; dicuntur: quibus conuenit ea dicere: atq; audire: quæ ad modeſtum ac ingenuum virum accomodantur. Quod autem circa ludos iocoſq; poſſit eſſe honeſtum ac turpe: patet ex ſpectaculis: quæ in antiquis: & nouis congreſſionibus fiebant: nam in turpibus ridiculis oſcenitas: in honeſtis probitas habebatur. Vrbanus igitur ac ingenuus ita ſeſe habebit: quaſi ſibi ipſe lex ſit in loco. ſcurra vero a ridiculo ſuperatur: atq; nec ſibi: neq; aliis parcit: modo moueat riſum: dicitq; ea: quæ vrbanus nec diceret: nec audiret. At ruſticus ad tales congreſſiones inutilis eſt: quippe cű nec ipſe quicquam afferat ſalis: & quum alii afferunt: ægre moleſteq; ferat. Quanta vero in iocis ac ludis requies habeatur: teſtes ſunt dies feſti a veteribus inſtituti: in quibus: & tibie: & tubæ: & cantus: & choreæ: & lectiſternia: & templorű: & porticuű: viarűq; apparatus: & fercula: aliaq; innumera oblectamenta fiebant: nec ob aliud niſi propter cőmuně omniű recreationě: et ob hăc rě Ariſtoteles iocű veluti requiě in vita neceſſariű eſſe dicit: Eſt itaq; vrbanitas altera pars: & quidem præcipua eulicæ virtutis. nă cű ad aulă principis refertur: aulicæ virtutis nomen ſibi vědicat: cű vero refertur ad ciues: vrbanitatis nomě habet

Et cum de ridiculis: ac vrbanis ſermonibus nobis diſſerendum ſit: primo de riſu tranſigamus.

De Riſu.

Cap.XXVI.

DE riſu vero diſſerentes (licet Democrito id dimittendum eſſet: qui de omnibus ridebat) diuiſionem aſſumamus huiuſmodi: ꝙ ſit alius naturalis: alius ſimulatus: alius vero aut ægritudinalis: aut non naturalis: Naturalis riſus cauſæ duæ ſunt: altera miniſtrans: altera mouens: ac imperans. Eſt cauſa imperans ſenſualis ipſe appetitus excellenti gaudio affectus: tãtoq; vt ſufficiat calefacere ſpiritus: ipſoſq; mouere pro riſu. Miniſtrans vero cauſa: eſt vis mouendi inſita lacertis: qui mouent os: & partes omnes: quæ pro riſu vtiles ſunt. Subminiſtrans vero cauſa ſpiritus eſt: qui ſupercalefactus gaudio relegatur ad lacertos: vt moueantur ad riſum. Simulatus vero riſus: eſt qui non ex his cauſis proficiſcitur: ſed ſolum ex ipſa anima: quæ: vt obtegat dolorem: ac fletum: ſimulat riſum: vt Annibal cum cerneret ſuum exercitum deuaſtatum ſimulatum riſit riſum: Cæſar contra fleuit ſimulate: cum caput Pompeii vidiſſet. Riſus autem ægritudinalis: (vt medici tradunt) eſt in eo: qui moritur ob detractioné plurimi ſanguinis. aut ex aſſumptione plurimi croci. Riſus vero non naturalis (vt Ariſtoteles ſcribit libro problematũ) eſt is: qui fit ex titillatione ſubaxillarũ: cæterarũq; partiũ ſimiliũ. Et quoniã nobis ſermo eſt de naturali ipſo riſu: de aliis atq; eorum cauſis: nunc pertractare omittimus. Ad naturalem itaq; riſum efficiendum pluribus virtutibus opus eſt: nam quatenus in riſu eſt motus lacertorum faciei & pectoris: virtute: quæ voluntarie mouet opus eſt, quo vero appetitus imperat lacertis vt moueãt: opus eſt appetitu ſenſuali: & quoniam appetitus ſequitur apprehenſionem eius

virtutis: quam græci phantaſticam vocant: quæ rem voluptificam apprehendit: atq; gaudium tantum quod calefacere poſſit ſpiritus: imaginaria virtute opus eſt. quo vero ad riſum ſenſatio aliqua exterior neceſſaria eſt: etiã ſenſu aliquo exteriore opus eſt. quatenus autem concurrit motus caloris ac ſpiritus: opus eſt virtute vitali: quæ reſidet in ſpiritu: & calore. In apprenſione vero gaudii ſurgit in nobis duplex appetitio altera ad eam remam plectendam ex qua naſcitur nobis gaudium. altera ad patefaciendum gaudium: quod nobis inſurrexit ex ipſa re voluptifica. Veluti cum procul PHAVSINAM inſpexero: qua ſupra modum gaudeo: vna appetitio me mouet ad illam proſequendam: & hac pedes: crura: manus: moueo: vt ipſam aſſequar: altera quæ imperat ad manifeſtandum gaudium: quod mihi inſurrexit ex illius meditatione: & hac moueo lacertos: tũ pectoris: tum faciei: motu videlicet: quo fit riſus ipſe. hactenus de riſu: atq; de cauſis internis riſus.

Non eſſe omnes æque ab ipſa netura aptos ad ridendum. & de effectibus riſus.

Cap. XXXVII.

HOmines vero: ac principes: qui rident: licet omnes riſibiles ſint: vt hominis definitio probat: eſt enim aliter riſibile: tamen ab ipſa natura non omnes æque apti ſunt ad riſũ. ſicut nec omnes æque flere: atq; triſtari ſolent. videmus enim non nullos ex paruis cauſis triſtari: nec ob aliud: niſi quia paucos: & quidem tenebroſos ſpiritus obtinent: ſic non nulli ab ipſa natura affecti ex paruis cauſis rident. vt puta qui ſpiritus multos: bonos: ac mobiles continent: qui facile mouent inſtrumenta ad riſum. huius generis: & pueri: & iuniores eſſe videntur. ſenes vero & melancholici: non ex paruis cauſis rident: nec gaudent: tum ſpirituũ paucitate: tum

nigritie: immobilitate:ac craſſitudine etiam: effectus vero riſus quoniam (vt Quintilianus in . 6 . libro) plures ſunt: nam riſus triſtes ſoluit affectus: animum ab actentatione rerum nimia frequenter auertit : & aliquando etiã reficit: & a ſatietate vel a fatigatione remouet: ideo & ex parte mouentis: & ex parte moti ad riſum ab ipſa natura magna differétia eſt: nam aliqui ab ipſa natura exoriuntur aptiſſimi moueri: aliqui autem aptiſſimi mouere ad riſum:aliqui vero vtroq; modo. eſt tamen hæc differétia q̄ mouere riſum ingenioſi ſit natura : at moueri poteſt aliquis ad riſum non nimio ingenio præditus:

De gaudio quod in omni riſu vt cauſa præſupponitur: & de mœrore: vel mœſtitia: & de lætitia:& triſtitia:& de voluptate:& dolore:& de geſticulatione.

Cap.XXXVIII.

QVoniam nemo ridere poteſt riſu vt diximus naturali : niſi prægaudeat:ſuper eſt: vt de gaudio dicamus . eſt itaq; gaudium animi : cuius contrarium eſt mœror : vel mœſtitia : nam mœror vel mœſtitia etiam animi eſt. lætitia vero eſt quum ita mouetur animus: vt etiam ad exteriora egrediatur: & maxime in vultum . ob hanc rem Stoici gaudium in ſapientem cadere poſſe: lætitiam non poſſe autumant . huius oppoſitum triſtitia eſt. voluptas autem eſt operationis perfectio: dolor autem qui ei aduerſatur imperfectio eſt: geſticulatio deniq; in mutis animalibus eſt : nam quod hominibus gaudium:cæteris animalibus geſticulatio dicitur: eius vero contrarium innominatum eſt : verum quia homines cum cæteris animalibus cõmunem habẽt lætitiam atq; triſtitiam : ſit vt oppoſitum geſticulationis nomine generis triſtitia dicatur . inſuper gaudium quies eſt de præſenti bono : cuius amor & deſiderium

& ſpes præceſſerunt: fuſo autem verbo gaudiũ eſt quies de præſenti bono: ſiue præter ſpem: ſiue propter ſpẽ euenerit: mœror autem inquietudo de præſenti malo. Ad hæc dicitur gaudium a delectatione: nam oblectamur tam in iis: quæ natura concupiſcimus: quam in iis: quæ ratione optamus. at gaudium locum non obtinet: niſi iis in delectationibus: quæ conſequuntur rationem: cuius rei argumento nobis ſunt cætera animalia: quibus delectationem: & non gaudium attribuimus. quoniam rationis ſunt expertia. Eſt præterea alia differentia. nam quod natura concupiſcimus: eo omni gaudere poſſumus: ſed non id omne: quo gaudemus: natura concupiſcimus: nam contingit per ſæpe: vt eo gaudeamus: quod non natura concupiſcimus. vt abſtinentia ratione aliquãdo gaudemus: quam natura non concupiſcimus. ex his perſpicuum gaudium eſſe quietem cum ratione de præſenti bono. Nec diſſonum videbitur: vt interdum malis gaudeamus: quoniam nobis per rationem apparentem bona videntur. Mouet itaq; gaudium ad riſum: quoſdam ex paruis: quoſdam ex magnis cauſis: nec ob aliud niſi propter differẽtiã naturarum: quemadmodum aliquis equus ex parua cauſa delectante hinit: aliquis non niſi ex magna cauſa. ſimiliter canis latrat: aliquis ex parua cauſa: aliquis vero nõ niſi ex vehemẽti. Eſt enim riſus in homine: vt hinnitus in equo: & latratus in cane. Qua ratione euenit: vt non ab ratione Cicero: & Quintilianus aſſeruerint riſum eſſe gaudii teſtimonium: id eſt hilaritatis quæ in animo percipitur: quippe cum ſemper effectus atteſtetur ſuæ cauſæ indicium.

Ex quibuſdam actibus humanis riſum fieri: ex non nullis vero non fieri.

Cap. XXXIX.

Hinc perſpicuum eſt actus quoſdam humanos eſſe quibus mouemur ad riſum: eiſdem autem ſecus euenientibus: nequaquam: ridemus enim

ceſpitationibus: caſibus hominum: quibus labuntur: ridemus etiã hominibus cum turpiter induũtur: vt perſonatis: ac laruatis: deformiter autem indutis interdum non ridemus. cauſam horum aſſignat Ariſtoteles vir omnium diſciplinarum magiſter: prioris quidem: quoniam ex huiuſmodi euentis: indumentiſq; talibus oritur in nobis gaudium: Primo quia putamus nos eſſe illis meliores: qua profecto opinione gaudemus: atq; lætamur: deinde quia arbitramur nos eſſe illis prudentiores: quatenus ea non faceremus: his igitur duabus exiſtimationibus cum videamur præferendi: gaudemus tanto videlicet gaudio: vt ſufficiat mouere riſum. ſecundi vero cauſam aſſignat eodem libro: nam qñq; his caſibus: atq; euentis annexa ſunt nocumenta: quæ magis ad commiſerationem mouent: quam turpitudo: & deformitas ad riſum. ob hanc cauſam: vt Galenus narrat: libro. 4. de locis affectis: quidam ridebant quodam homine irato: q̃ proiiceret vaſa per feneſtram: cum vero proſpexiſſent ex ea proieciſſe puerum: & ob proiectionem mortem obiiſſe: compatientes: ac commiſerantes puerum: non ridebant. nocumentum enim mouens ad commiſerationem maius erat turpitudine: quæ mouebat ad riſum.

Quid ſit ridiculum generatim ſecundum Ariſtotelem.

:Cap.XL.

EX iis Ariſtoteles in poetica concludit ridiculum eſſe delictum quoddam: ac turpitudinem: quæ eſt doloris expers: minimeq; afflictiua: quo enim eſt expers doloris neq; maceratiua: non mouet ad commiſerationem: ea vero ratione: qua eſt turpitudo atq; delictum: id eſt peruerſio quædam recti: quod prudentes ac boni agerent: mouet ad riſum. Quare nec res: nec geſtus: nec ſermo poteſt riſum mouere: niſi turpitudinis: atq;

cuiuſdã peruerſionis rationem capiat: deinde nec res: nec geſtus: nec ſermo eſſe poteſt ridiculus: niſi doloris: atq; afflictiõis omnino ſit expers. hac ratione turpis facies: omneq; peruerſum: modo nõ inferat dolorem: ridiculũ eſt. cauſa eſt: quia hæc omnia apprehendimus tanquã gaudii affectiua: aut ob opinionem: quam ex hiſce nanciſcimur noſtræ probitatis: aut melioris prudentiæ. aut noſtri exceſſus in aliquo bonorum: vt in forma: vel in robore: vel in viribus: vel in nobilitate: vel in diuitiis: vnde Iuuenalis: nil habet infelix paupertas durius in ſe: quam ꝙ ridiculos homines facit. ſit enim (vt diximus) in nobis ſemper gaudiũ: cum imaginamur excedere aliquẽ in re quæ eſt proba: vel quæ nobis apparet proba. Hinc patet nõ recte ridiculum eſſe definitum: ꝙ ſit illud: quod in ſe contineat deformitatem: ac inconuenientiam: vt Cicero deſcripſit: oportet enim addere deformitati; vt ſit doloris expers: atq; non ſollicita & anxia.

Cur ridicula inſtituta fuerint: & quidem genere: & locis varia. Et de aulicaribus: ac aulicis

Caps. XLI.

CVr vero publice: & priuatim ridicula plurima: & genere & loco varia inſtituta ſint: quaſi ab hominum initio: & ad huc perdurent: non eſt difficile demonſtrare ex iis: quæ diximus: nam cum animus natura requiem ac recreationem concupiſcat: natura quoq; trahatur ad eas: Priſci Reges: Romaniq; principes: Athenienſeſq;: etiam & barbari: vt recrearent animos ſuos: qui præ nimia operum: ac negotiorum multitudine feſſi: atq; defatigati eſſent: quiq; natura hæc concupiſcerent: feſtos dies adinuenere primo: deinde: vt adhuc ſe magis recrearent relaxarentq;: (quemadmodum Ariſtoteles in poetica retulit:) ludos: iocos: theatra: arenas: ſedilia: aliaq; plurima ædificia diebus illi addiderũt: i quibus & comica

& tragica recitarentur: vt apud Dorienſes ac Megarenſes primo: vel (vt aliis placet) primo apud ſiculos: apud quos Epicharmus & Phormis maximi extiterunt: & (vt Ariſtoteles inquit in poeticis) apud Atheniēſes primus Crates incepit: in his enim & hiſtriones: & mimi; exhibere ſolebant: inſuper & alia oblectamenta: vt tibiæ: & tubæ: & cantus: & choreæ: & lectiſternia & muſici: & gladiatores: & venationes: & pugnæ nauales: & alia id genus: Demum & ridicula: quæ mouerent riſum: nec ob aliud Primi Reges: ac Magiſtratus hæc effecerunt: niſi vt placerent populis: indeq; amorem ac beneuolentiam captarent: eoq; venit vſus huiuſmodi: vt iam non ſolum voluptati: ſed ambitioni: atq; magnificentiæ res hæc principibus extiterit. hæc poſtea cum tranſlata eſſent ad domos principum: mutato nomine aulica hodie dicuntur. Nec alia differētia eſt niſi ex loco. nam quum referuntur in publicum: vrbana vel ſcurrilia vocantur: quum vero ad aulam principum: aulica vel aulicaria nominātur. placet tamen mihi de licentia: ſcurrilia cum ad aulam relata fuerint: vt dicantur aulicaria: vrbana vero ac comica facetaq;: vt aulica nuncupentur.

Vnde Riſus fit.

Cap. XLII.

QVoniam ridiculum eſt: vnde riſus fit: ideo vnde riſus fiat aperiamus: ex quibus: Quintilianus itaq; riſum fieri non ſolum facto aliquo dictoue: ſed etiam quodam corporis geſtu autumat: ideo anceps eius rei ratio eſt: & hac ratione riſum petimus: aut ex nobis: aut ex rebus mediis: aut ex aliis: nā riſus aut ex corpore eius: in quem dicimus: oritur: aut ex animo: qui factis ab eo dictiſq; colligitur: aut ex iis: quæ ſunt extra poſita. hac ratione Cicero ī de oratore libro ſecūdo: locus inquit & regio quaſi ridiculi turpitudine: & deformitate

quadam continentur: hæc enim ridentur vel ſola: vel maxime: quæ notant turpitudinem aliquam non turpiter. Qua ratione fit vt ſit & res ipſa ridicula: & ſermo: & geſtus ridiculus. res quidem (vt Cicero ait) in qua ridiculum ſumi ſolet ex quadam deprauata imitatione: vel (vt melius Ariſtoteles) res ridicula eſt: quæ delictum quoddam: ac turpitudinem continet: quæ eſt doloris expers: minimeq; afflictiua. Sermo vero ridiculus (vt Cicero) in quo illa ſunt: quæ aut ex immutata oratione ducuntur: aut ex vnius verbi tranſlatione: aut ex inuerſione verborum. & ob id dicit non eſſe inſulſum ſermonem: cum ad verbum: non ad rem accipere videtur: id quod poſitum eſt in verbo. Ariſtoteles vero in poetica dicit: ridiculam efficere orationem: qui concinnat quantum refert in verbis: & inſpicit in nominibus inſerendis linguam: & tranſlationes: potiſſimum autem aliquando peregrinam linguam: & adiectioné: & quicquid eſt præter proprium. modo autem: quæ inſerit expertia ſint doloris: & afflictionis. per quæ perſpicuum fit: quid ſit geſtus ridiculus: eſt enim qui continet delictum vel turpitudinem doloris expertem: atq; nullos angentem. hæc generatim de rebus: vnde riſus fit.

De diuiſione ridicularum orationum: rerum: vel geſtuum.

Cap. XLIII.

SErmonum ridicularium: alii ſunt breues: qui ſi fuerint cum turpitudine: erunt ſcurriles orationes: quæ dici poſſunt ſcurrilitates: ſi autem riſum mouerint ex turpitudine non turpiter: dicuntur vrbanitates: at ſi ſine riſu mordent: ſales dicuntur: vel dicteria græce ſcommata: vel apophthegmata appellantur. Alii autem prolixi: atq; oblongi: qui ſi fuerint cum delectu: facetiæ vocantur: quarum (vt Cicero inquit) aliqua re

aliquo dicto tractatur: & poteſt addi tertiũ genus: quod re: dicto: ac geſtu: re quidem: ſi quando quid tanquã aliqua fabella narratur: vt pogianæ facetiæ: & non nullæ boccatianarum: eſt enim huius generis virtus: vt ita facta demonſtres: vt mores eius: de quo narres: vt ſermo: vt vultus omnes exprimantur: vt iis: qui audiunt tum geri fieriq; videantur: ac præ oculis eſſe: verbo autem: cum poſitum non inſulſum ſermonis genus ſit: ex eo: quum ad verbum non ad ſententiam rem accipere videtur. At ſine delectu ſunt ludificationes: quæ verbis: rebus: & geſtibus: aut ex immutata oratione ducuntur: aut ex vnius verbi tranſlatione: aut ex inuerſione verborum: aut geſtium: vel rerum. vt illa præceptoris mei: cum ſubripuiſſet ludendi gratia hædos cuiuſdã nobilis veneti: anteq̃ ille conquereretur: perſuaſit multis: & quaſi omnibus: quod inuaſus eſſet venetus ille nobilis ab inſania: adeo vt crederent eum non conqueri propter raptũ hædorũ: ſed ob dementiam: vnde cum ille acceſſiſſet ad prætores: credentes eum eſſe inſanum ob famam: quæ præceſſerat: commiſerabantur de inſania. de furto autem nihil credentes. de ridiculis multa ſcribit Boccatius: quæ non opus eſt repetere.

De perſona mouente riſum & de ætate.

Cap. XLIIII.

VIdetur vltra hæc differendum eſſe de perſona mouente riſum: quæ (vt perſpicuum eſt) puer vel adoleſcens eſſe non poteſt: quoniam ſicuti ſeria non conueniunt: niſi ætate prouectis: ſic nec ridicula ac iocoſa mouere poſſunt: niſi prouecti: nam (vt philoſophi tradunt) circa idem contraria conſiſtunt: præterea nec facetiæ: nec ſcurrilitates: nec ſales: nec ludificationes ſine aſtutia: atq; quadam prudentia ſunt: quæ

non niſi prouectis idoneæ videntur: nõ nego tamen ali/qua hoꝶ cõuenire poſſe adoleſcẽtibus: quæ nõ exeũt terminos morum pueriliũ: in his peritus erat famulus quidam noſter adoleſcens. fingebat enim canes rixantes: gallos: homines nõ modo in geſtibus: ſed in verbis: & rebus: verũ hæc non tranſcendebant puerorũ mores: fabellæ vero idoneæ ſunt ſenibus potiſſimum mulieribus: propter quod & aniles dicuntur apologi: & fabulæ philoſophis: ſunt enim fabularũ effictores. vtrũ vero mouere riſum virum grauẽ deceat: ambiguum eſt: primo quia ridiculum dictum (vt Quintilianus probat) plærũq; falſum eſt: hoc ſemper humile: ſæpe ex induſtria deprauatũ: quæ omnia viro graui inconueniũt: deinde quia nũq̃ honorificum. tum etiã ob varia hominũ iudicia in eo: non ratione aliqua: ſed motu animi quodã neſcio an enarrabili iudicatur. Verũ Cicero & virũ grauẽ decere: tum autumat: tũ ipſe adeo fuit in mouendo riſu edoctus: vt cõſularis ſcurra ab inimicis vocaretur. nam non ſolũ extra iudicia: ſed etiã in ipſis orationibus habitus eſt nimius riſus affectator. Demoſtheni facultatẽ huius rei defuiſſe credunt. nec videri poteſt voluiſſe Demoſthenes: cuius pauca ad modum dicta nec ſane eius virtutibus reſpondentia palam oſtendunt: non diſplicuiſſe illi iocos: ſed non contigiſſe. Cicero igitur ridicula quæ turpia ſunt turpiter mouere: nõ decere grauẽ virũ autumat: quæ vero turpia ſunt nõ turpiter: & decere: & ad virtutẽ attinere probauit: ꝙ etiã Ariſtoteles inter virtutes enumerauit. Qui igitur aptus eſt riſum facete mouere: oportet: vt quaſi ex fortuna: vel (vt rectius dixerim) quaſi ex ipſa natura aptus: & accomodatus ſit modis omnibus facetiarũ: dicteriorum: ac ſalum cunctorũ: habeatq; eis: & verba: & mores: & vultus: & motus idoneos: accommodatoſq;. ætate quoq; ſit prouectus: qualis ætas viri grauis cenſetur: qui quanto grauior fuerit: tanto vrbana omnia ſalſiora: atq; argutiora videri faciet. his vrbanis ſi coram principe: cum ſibi æqualibus: vel parum admodum inæqualibus vtetur ſapiẽter: ac non turpiter: ſed vrbane vtetur: tantoq; vrbanius: quãto magis modum ac delectum in cũctis ſeruauerit.

De partibus aulici: Et primo de Nobilitate.

Cap.XLV.

VTrum vero nobilitate clarus eſſe debeat vrbanus: non facile eſt definire. Cicero: Quintilianus: & Ariſtoteles: qui de ridiculis & vrbanis ſcripſerũt: nobilitatis nihil meminerunt. fortaſſe quia nobilitatem generis nihil prodeſſe vrbanis crediderunt: nobilitatem vero: quæ virtus eſt: non modo neceſſariam: verum etiã vrbanitatem ipſam eſſe probarunt. Qua ratione fit: vt ſecundũ hos ne aulicus nobilitate emicet: neceſſe ſit: quãtoq; minus ſcurra: vel hiſtrio: vel mimus. Sũt qui nobilitatem generis partem aulici: & quidem non paruam eſſe affirment: primo quia per eam ad omne virtutis genus facilius properetur. quippe cum generis nobilitas diſpoſitio quædam ſit: qua homines nobiles apti ſunt exercere earum virtutum opera: quibus parentes clari erant. Deinde (vt Ariſtoteles. 2. rethoricorum libro probauit:) homines omnes: cum aliquid adſit: ad id ſolent coaceruare: vt ſi diuitiæ paruæ fuerint: ad illas exaggerant. Et cum nobilitas ſit quædam maiorum claritas: fit vt nobiles ad illam maiorum claritatem plures ac maiores honores accumulare enitantur: quo fit: vt aulicam ipſam virtutem non cum immunditiis & illecebris exerceant: ſed cum delectu: vt decet nobiles viros. poſtremo virtutes longe magis emicant: (vt Ariſtoteles inquit) in viro genere nobili quam ignobili: maiorem quoq; fidem de ſe ipſis faciunt: atq; à cunctis non ficte exiſtimantur: gratioreſq; ſunt: ſed fortaſſe licet palatino comiti ſit nobilitas magis conueniens: tamen nec comiti: nec aulico eſt neceſſaria: nam ſi æque bene aulicæ ipſæ actiones exerceri poſſint: tam ab iis: qui genere nobiles ſunt: ꝗ̃ ab iis: qui ipſa vrbanitate: ac affabilitate perfecti ſunt.

vt docent exempla & obſeruationes: generis nobilitas neceſſaria non erit aulico: nec comiti.

De pulchritudine Aulici.

Cap.XLVI.

SVnt etiam: qui non modo nobilitatem verum etiã formam partem aulici eſſe tradant: dico formam nõ quæ ſit eadem ſemper: ſed quæ currit per omnes ætatis numeros; vt inter iuuenes iuuenis pulchrior: inter viros: vir quoq; formoſior: atq; inter ſenes ſimiliter. Cauſa vero colligi poteſt ex primo Rhetoricorum Ariſtotelis ex eo quia corpus formoſum aſpectu videtur iucundum: qui vero corpore: ac aſpectu iucundus eſt: gratiam in omnibus ſibi comparat: atq; potiſſimum in aulicis. fortaſſe in vrbano & affabili pulchritudo non erit abſona: quippe cum gratior pulchro in corpore ſit virtus: ſecus in ſcurra & adulatore. In ſcurra vero turpitudo (modo non ſit commiſerabilis) gratiam affert non paruam. Quod autem aulico pulchritudo neceſſaria non ſit: eo (vt diximus) perſpicuum eſt: quia aulicæ actiones ſatis bene expleri atq; perfici poſſunt: etiã ſi aulicus pulcher non ſit: vel ſit longus: vel breuis: vel talis id genus: vt docet obſeruatio ipſa: modo non ſit adeo turpis vt commiſerationem ſui apud circumſtantes moueat.

De litteris: Muſica: facultate pingendi: atq; de gymnica.

Cap.XLVII.

SVnt etiam: qui Aulici partes: & quidem neceſſarias eſſe velint: litteras: muſicam: pingendi facultatem: atq; gymnicam: quarum partes explicant. mouẽtur

argumento

argumento: quod aulicus omnis ſit ingenuus: omnis auté ingenuus his emicat. igitur & aulicus de huiuſmodi ſatis ſuperius dictum eſt: tamen bis dictum: (vt Plato inquit) ſi bene dicatur: non diſplicet: hi igitur (vt diximus) decepti ſunt: nam virtutem aulicam putant virtutes omnes occupare: quod falſum eſſe ſuperius eſt demõſtratum. Ariſtoteles enim libro ethicorum quinto ſolam iuſtitiam: quæ legitima eſt: virtutes omnes complecti aperte oſtendit: aliarum auté virtutum nullam: quoniam vnaquæq; alia verſatur. ſ. circa propriam materiam quã philoſophi obiectum dicunt: propria autem cuiuſq; virtutis materia materias virtutũ omniũ non occupat: quare cum virtus aulica quædam ac particularis virtus ſit: non quæ ſit iuſtitia: non quæ ſit liberalitas: non quæ ſit fortitudo: nec aliqua talium: fit vt eius materia cæterarũ materias non contineat: ꝙ ſi eius materia cæterarum virtutum materias non ſibi adiunxerit: nec aulicus ea ratione videlicet qua aulicus eſt: reliquas virtutes ſibi aſciſcit non enim id neceſſarium eſt: hanc ob cauſam Egidius deceptus eſt: qui curialitatem: (vt verbis eius vtar) complecti omnem virtutem arbitretur. fortaſſe alia ratione decepti ſunt: ꝙ eundem aulicum eſſe: ac palatinum comitem putarint: at falſum eſt hoc: nam comitis officium eſt comitari: aulici vero principem iucundis ac vrbanis rebus recreare. comes autem eſſe non poteſt: vt decet: niſi aliqua ratione par atq; æqualis principi reddatur: hoc enim pacto iure comitari poterit. ꝙ vero illis quatuor par atq; æqualis fere principi reddatur: licet Ariſtoteles probarit: tamẽ ſuperius eſt demonſtratum: ſuperat enim princeps comitem diuitiis ac magiſtratu: idoneus aũt comes iis quatuor principem anteire debet: vt paritas aliqua ratione in comitatu ſeruetur. Aulicus autem cuius officium eſt vrbanis ac affabilibus principem demulcere: in his dũtaxat peritus habendus eſt. ſi auté cũcta alia bona obtinuerit: melior fortaſſe erit vt homo vt ciuis: vt comes: nõ auté vt aulicus. quod auté dicebatur aulicũ eſſe ingenuũ: verũ eſt ea videlicet ingenuitate: quæ cõplectitur affabilitaté ac vrbanitaté: non auté virtutes omnes.

De gratia: quæ in aulico requiritur. & de ſermone aulico gratioſo.

Cap.XLVIII.

CVm vero aulicus ſine gratia frigidus ſit: quid gratiæ ſit in aulico: opus eſt vt exponamus. Illud tamen in primis accipiendum eſt: gratiam non eſſe: niſi in pulchris: quippe cum gratioſum omne ſit pulchrum: contra vero nequaquã. poſſunt enim & puellæ: & orationes: & veſtes: & alia id genus eſſe pulchræ: quæ nobis gratioſe non ſunt. Quare ſi in aulico gratiam quærimus: ſupponere oportet aulicum ſermone: geſtibus: ac re pulchrũ eſſe. veluti ſi dixerimus P H A V S I N A M gratioſam eſſe neceſſe eſt: vt dicamus eam forma: geſtibus: inceſſu: verbis: pulchram eſſe. eſt inſuper nobis argumento: quod turpe ipſum atq; deforme nulli ſit gratioſum: niſi ſub ſpecie pulchri: nam quemadmodum malum non nũquam appetimus: quia nobis bonum apparet: ſic quoque turpe interdum gratioſum: quod nobis pulchrũ videatur. Dixerunt itaque non nulli gratiam eſſe donum naturæ: quod enim hæc pluribus gratioſa ſit mulier: illa nulli vel admodum paucis. videtur ex natura id eſſe. Plato autem ex dei fulgore: qui in quibuſdam pulchris clarius: in non nullis obſcurius ſuſcipitur id accidere ſuſpicatur: eſt enim dei fulgor gratia quædam: grata faciens pulchra cuncta: nõ tamen æque aut pariter: cum non in cunctis pulchris pariter diſſeminetur. ſed prætermittendo hoc: nam diſputatione non caret: ſit ne gratia donum naturæ: an in nobis ipſis conſtituta? primo vnde gratia oriatur: exponamus: obſeruatione enim exploratum eſt: non nulla pulchra quodam tempore non eſſe gratioſa: poſtea fieri gratiſſima: vt ſit argumentum ad perſuadendum gratiam

poſſe interdũ ex nobis ipſis oriri : aut omnino: aut ſaltẽ aliqua ex parte Quod ſi ita fuerit:non nulli : & quidem non imperite : gratiam oriri in pulchro ex neglectu affectationis aſſerunt. Eſt autem affectatio curioſitas quædã: atq; nimia diligentia : hinc affectata oratio dicitur: quæ nimis anxie : ac curioſe exquiſita eſt . affectata quoque pulchritudo : quæ nimio fuco : ac ornamentis quæritur. cũ vero pulchritudo arte quadã occulta negligitur : quaſi ſit eueniens ex tempore : hæc redditur admodum gratioſa : & facilis : ex quibus patet nos gratiam poſſe diſcere : locis & imitationibus : locis quidem : ſi pulchrum ex arte occulta appareat negligi : ſi non anxie fucetur : ſi non diligenter : & ad amuſſim ornetur. imitatione vero : ſi ea obſeruauerimus : quæ in ſimilibus pulchris gratiam habent : vt ſi quæremus gratiam in elocutione : obſeruare oportet ea : quæ orationes Demoſthenis gratioſas effecerunt : & ea etiam : quæ orationes Ciceronis . ſimiliter in cæteris omnibus pulchris : quorum gratiam quærimus . ſemper enim ea obſeruare oportebit : quæ gratiam in ſimilibus obtineãt : ſic in equitando : ſic in Muſica : ſic in choreis : atq; cæteris omnibus : quorum gratiam diſcere volumus. Hinc patet quis gratioſus aulicus ſit : eſt enim qui in ſermonibus : & geſtibus : & rebus : pulchritudine vtitur : ex quadam occulta arte cum neglectu : atq; apparenti contẽptu : non tamen adeo apparenti : vt videatur neglectus atq; cõtemptus ipſe arte factus : qua ratione ſit vt gratioſus ſit aulicus : qui geſtibus : ſermonibus : ac rebus ita facile & accommodate vtatur : vt quod dicto : vel geſtu oſtendit : præ oculis credatur eſſe . Aulicus vero : qui ſine gratia eſt : geſtu : re : ac ſermone frigidus eſt.

De ſermone frigido Aulici.

Cap. XLIX.

SEd quoniam frigiditas contingere poteſt in aulicis ipſis ſermonibus & in geſtibus & in rebus: de frigiditate aulici ſermonis & de lingua dicamus. nam ex hoc frigiditas in geſtibus ac rebus perſpicua erit. Ariſtoteles itaq; .iii. rhetoricorum ſermonem frigidum eſſe tradit primo nominum compoſitione: quæ & circum locutio dicitur: quoties enim oratio aulica nobilibus compoſitis conſtat: frigida prima ratione eſt: eſt nomen compoſitum illud: quo Lycophron: cum nominaſſet cælum compoſito nomine & ficto dixit multi faciem. Gorgias vero volens pauperem appellare dixit ſapientem adulatorem: & Alcydamas animum numcupauit viribus refertum. Hæc quia poetica ſunt: vrbanam orationem reddunt frigidam: ac nimis affectatam. Deinde cum in ſermonibus fuerit vſus nimius priſcorum nominum: ſunt autem priſca nomina & verba: que ſuperiore ætate fuerunt: hoc pacto Lycophron Xerxem, cum dixiſſet virum dixit montis inſtar: Schironem vero appellauit virum vaſtum: et Alcydamas ludicrum poeſi. Quæ cum ſint poetica: velut plautina vrbanis ſermonibus non ſunt idonea. Qua ratione fit: vt aulicus ſermo ſit: qui nominibus: ac verbis conſtat: non indecenter fictis: ac nimium priſcis: ſed accommodatis Principi atq; cunctis: qui in aula viuunt. Tertio frigidus fit vrbanus ſermo adiectiuorum abuſu: vt puta cum longis epithetis vtimur: qualia ſunt: quæcunquæ nimis remota ac longinqua ſunt: vt cum dicitur dircæus ædipus: id eſt Thebanus a dirce fonte: aut cum dicitur ſerpentigenus: a ſerpentis filiis Thebarum conditoribus. longum eſt etiam illud Virgilii in .vi. quem contra breuiter fata eſt amphriſia vates: vbi amphriſia id eſt apollinea intelligitur: per quæ oportet intelligere aulicum iis epithetis vti oportere: quæ ideo principi ac vniuerſe grata ſunt aulæ: quoniã proxima ſunt iis nominibus ſubſtãtiuis quibus adiacét. alioquin ſermo reddetur minus intelligibilis: aut cũ epithetis alienis vtimur: velut eis: quæ ſubſtantiuis: quibus adiacent: nõ cõueniũt: vt cũ diceretur dulce mare:

frigidus ignis. nam nec ſic apud aulam talium vſus eſt. aut cum epithetis crebris vtimur: vt cum cuiqꝫ ſubſtantiuo dares ſuum adiectiuum: ſic enim confuſio eſſet in verbis. vltimo vrbanus ſermo fit frigidus metaphorarũ diſſonantia: aut quoniam metaphoræ ſunt ridiculæ ac ſcurriles: quibus vtuntur comici ac ſcurræ. aut quia nimis graues: quibus vtuntur tragici. aut quia obſcuræ ac remotiores: quibus vtuntur heroici: vt vtebatur Gorgias: cum ſemina dixiſſet virides, res atqꝫ exangues: quas turpiter ſeminaſti: perperam meſſuiſti: vel falcula incidiſti. Hoc enim valde poeticum eſt: & obſcurum: quod euitare debet aulicus: ne ſermo obſcurus eddatur: ac latens. per quæ colligi poteſt ſermonem frigidum eſſe in quo nimia affectatio continetur: in quo improprietas: in quo obſcuritas: in quo diſſonantia ſimilitudinũ: ac tranſlationum habetur. inquo etiam vſus verborum ac nominum non ſecundum communem aulæ morem agitur: in qua ipſe aulicus viuit. redditur quoqꝫ aulicus ſermo frigidus: cum aulicus ipſe in ſalibus fuerit nimis creber: & quaſi toto die in his verſans. Eſt frigidus ſermo etiam: cum magno temporis interuallo proponitur: aut reſpondetur: quia demonſtrat ex conſilio fuiſſe: aulica enim quæ ex tempore fiunt gratioſa ſunt potiſſimum reſponſa: vt Cicero vtebatur. magis enim in reſpondendo laudatur aulicus: quam in proponẽdo. quæ enim proponuntur: ex conſilio proficiſci videntur. quæ vero ex tempore reſpondentur: gratioſa iudicantur: & ingenii acumen arguunt atqꝫ promptitudinem. Qualis igitur debeat eſſe ſermo aulicus: ex hiſce apertum eſt.

De ſermone gratioſo in ſcurra.

Cap. L.

EX iis facile conſtat: qualis ſermo ſit gratioſus in ſcurra: habet enim ſcurra commune cum aulico: vt eius ſermo tam in reſpondendo q̃ in proponendo

ſit ex tẽpore: potiſſimũ tamen in reſpondendo:& quan-
tum ad hoc gratioſus eſt ſicuti vrbanus ipſe. verũ ſermo
ſcurrilis gratioſus eſt interdum: quum ea habet: quibus
vrbanus eſt frigidus: vt quum ſcurra nominibus vtitur
fictis & compoſitis: cum priſcis præſertim ruſticis: cum
adiectiuis remotis:cum alienis:cum crebris:& cum tran-
ſlationibus incongruis vtitur vel ridiculis: vel grauibus:
vel obſcuris:vel remotioribus:omnibus enim his ſæpius
ſcurra mouet ad riſum.ſũt & alia loca: de quibus poſtea
differendum.ſed nunc illud vnum ſit in aperto:quæcũq;
vrbanum ſermonem reddunt frigidum: ſcurrilem effi-
cere gratioſum: præter pauca: quæ ſcurra communia
habet cum vrbano. cauſa autem eſt: quoniam ſcurri-
lis ſermo non numquam cum dicacitate eſt: quæ pro-
prie ſignificat ſermonem cum riſu aliquos inceſſentem:
quæ inceſſio eſt gratioſa: cum ex iis conſiſtit omnibus:
vel pluribus: quibus vrbanus ſermo frigidus efficitur:
de his poſtea exempla afferemus.

De Vrbanitate ſermonis Aulici.

Cap.LI.

DE vrbanis vero ſermonibus illud primo atten-
dendum: quod Ariſtoteles Rhetoricorum. iii.
ſcribit: cum inquit: poſſe facete ac vrbane dice
re eſſe natura ingenieſi ac exercitati: ſed docere facete
dicere: artis eſſe. Qua ratione fit: vt ſermo vrbanus
efficiatur primo metaphorarum ac comparationum in
terpoſitione.deinde clauſularum oppoſitarum conſtitu-
tione: tertio deneq; vſu interpoſito eius principii: quod
eſt præ oculis. Metaphoræ enim omnes cum conueni-
entes fuerint: diſcere facile faciunt: atq; ſuaues ſunt:
præſertim ſi in ſermone non frequens fuerit earum vſus:
ſed loco ac tempore commenſuratus. Oppoſitiones etiã
ſuauiſſimæ ſunt: cum noſtram diſciplinam parturiant:

ſuerintq́ collocatæ in ſermone ſuo loco : ac tempore. ea quoque principia : quæ Hyperophthalmita : id eſt quæ præ oculis dicuntur : cum etiam ſuo loco ac tempore in ſermone habentur : mirum in modum eum vrbanum efficiunt . Inſuper vrbanus reddetur ſermo : ſi mores quos ſermone comprehendimus : hominibus ſimiles queas reddere : quod fit : ſi qui magni : qui curioſi : qui mediocres ſunt mores : conſiderabuntur : his quoq́ & huiuſmodi ſermo aulicus fit : nam metaphorarum ac comparationũ interpoſitione : clauſularũ oppoſitarum conſtitutione : principii quod eſt præ oculis vſu intermixto : fit ſermo aulicus : modo mores : qui in ſermone narrantur : hominibus aſſimilentur : ſintq́ omnia ſuo loco : ac tempore bene conſtituta. Qua ratione fit : vt aulicus quærendus ſit : qui ex iocis ſuauibuſq́ dictis oblectationem tantum quærat : ac recreationem poſt labores : qui etiam ſalem habeat indicendo : vt quæ ipſe dicit : ille quodam modo condiat . qui leporem admiſceat : qui verba apta : idonea : concinnata : ioci ſq́ accommodata vſurpet : vultumq́ illis adiungat : vbi opus eſt : ac geſtum : qui fabellis narrandis : recitandiſq́ iocis : ac ludicris rebus : & curras ſedet : & deliniat moleſtias : qui non diſcedat ex vrbanitatis finibus : aut ex vrbano in ruſticum : atq́ agreſtem tranſeat : ex ingenuo in ſeruum : aut ſeruo perſimilem : ni forte res ipſa ita tulerit qui minime volens offendat dictis : niſi laceſſitus : idq́ tamen vrbane : qui & temporis : & loci : & audientium : & ſui ipſius : quam gerit perſonæ : & ætatis : & negociorum : & publicæ priuatæq́ læticiæ habeat : ac triſtitiæ mœroriſq́ rationem . idq́ cum primis curet in ſingulis vt retineat modum : ne vt verba profundat & iocos : qui deniq́ ſummo id ſtudio videat : ne dum alios in riſum prouocat : ipſe ab aſtantibus reſui habeatur : triuioq́ dignior iudicetur. demum etiam qui intelligat ꝙ quemadmodũ ceſſatio, quieſq́ conceditur : relaxandi gratia : quo reditus ad labores ac negotia ſit alacrior : ſic iocos : dicta : ſales : lepores facetiaſq́ concidi : ne vitam cogitationeſq́ noſtras omnes ſtudiaq́ in iis

collocaſſe: aut in deſidia marceſcentia potius nos appareat: hunc (ni fallor quando quis & qualis comis ſit: quis etiam vrbanus: explicatum eſt) aulicum maiores vocauere: ſi ei affabilitatem addiderimus. complectitur enim aulicus vrbanum & affabilem: nam aulicus nihil plus addit: quam vt ſermones & res & geſtus ſint ad recreandum principem. patet igitur quid vrbanitas ſit in ſermone aulico.

Cur qui vrbanis ac affabilibus vtitur ad recreãdum principem ſolus nomen aulici ſibi comparauit.

Cap. LII.

DEcepti ſunt plurimi: qui arbitrantur: omnes qui in aula principis viuunt: aulicos eſſe: atq; dici: ſectantes vulgus: vt vero hic error aboleatur: repetendum eſt primo id: quod ſuperius diximus: videlicet aulam principis: quæ & palatium & domus dici ſolet: habere duas partes: quarum altera virorum eſt: altera mulierum: de qua libro. z. dicemus: pars virorum tripartita adhuc eſt: nam altera eſt eorum: qui miniſtrant: & hi a Cicerone in paradoxis atrienſes dicuntur: ſerui tamen ſunt non lege: vt qui capiuntur in bello vel alia ratione ſeruitutem ferunt: ſed quia ex pacto ſeruiunt atq; miniſtrant. Altera eſt eorum: qui principẽ comitantur in cunctis: vt in menſa: in itinere: in bellis: & in cæteris in quibus ſocietate opus eſt: & hi a Suetonio dicuntur comites: hodie etiam comites palatini: & commenſales: & continui: & aſſeclæ. Tertii vero ſunt aulici: qui nec comites: nec atrienſes ſunt: ſed ſolum qui recreandis principibus verbis vrbanis ac affabilibus geſtibus atq; rebus incumbunt: quales fuere philoſophi apud Alexandrum: apud Dionyſium: apud Darium: apud Ageſilaum: cæteroſq; Reges et principes: qui olim

fuere bene inſtituti. Nec iniuria hi aulici nomen ſolum ſibi arripuerunt: primo quia cum nomine proprio in aula caruerint: nomen generis ſibi vendicarunt: vnde aulici appellantur. deinde quia maiorem partem vitæ principis occupant: quæ ocium ac recreatio eſt. nam in cæteris vitæ partibus princeps non viuit ſibi:tũc enim ſibi ſoli viuit: cum in recreationibus ac animi relaxationibus colloquendo congrediendo ac conuiuendo delectatur:eſt autem princeps quaſi tota aula:Quare cum vrbani ac affabiles occupent principem dum is ſibi viuit: occupare videntur vniuerſam illius aulã. non ergo ab re per quandam excellentiam vrbani ac affabiles ſibi vendicarũt ſoli nomẽ aulici.Poſtremo ex vrbanitatibus ac affabilitatibus aulicorũ:quaſi omnes qui de aula ſunt congaudẽt ac recreantur: Quia ergo non ſolũ maiorẽ partẽ vitæ principis: verum etiam cæterorum arripiunt: fit vt nomen & rationem aulæ per excellentiam ſibi arrogent: nomenq; aulæ totum aſcribant. Ex iis apertum eſt: non recte feciſſe eos: qui ſecuti vulgus (vt diximus) aulicũ cum comite miſcuerunt:diſcrepant enim non parum ſicuti officia & operationes indicant. Ex aulicis itaq; fuit Cieneſius apud Diocletianum. et vt ſuperius diximus: apud Alexandrum Calliſthenes: Lyſimachus medius: Neceſias apud Antigonũ Apollophanes Timagoras apud Darium. Cliſophus apud Philippum: & alii apud alios Reges & principes: qui in aula nihil præter recreationes exercebant.Hodie eo venit abuſus impuriſſimus: vt ſcurris ac adulatoribus pro aulicis principes vtãtur.

De Nitore Aulicorum.

Cap.LIII.

NVnc demum antequam ad loca deueniamus: quibus vrbane mouere riſum atq; ſcurriliter poterimus: de nitore aulici pauca aggrediamur: nã nitor ſplendor quidam eſt in veſtibus & cultu corporis

(vt columella ſcribit) itaq; aulicum oportere nitidum eſſe: eo primo probatur: quod ſit inſtitutus ad recreandum atq; relaxandum principem: Nitor vero veſtium: ac totius corporis cultus: quantum ad recreationes faciant: teſtantur Medici: qui aſpectu horum animum relaxari atq; reſumi probarunt. deinde quia cum faciāt ad pulchritudinem: videntur augere in aulico gratiā. verum nō quicunq; nitor & cultus in aulico ipſo probantur: ſed qui fuerint cum delectu: hoc eſt ſicuti oportet: & quando oportet: & pro loco: in quo oportet: & tempore: & pro perſona aulica vt oportet: & pro conſuetudine ea ratione: qua oportet: qua ve vrbanitatibus ac affabilitatibus ſunt accommodati: Eſt enim in cultu & veſtium nitore tanta varietas (vt Ariſtoteles primo ethicorum ſcribit) vt ſola inſtitutione honeſta: vel turpis habeatur. Quare niſi pro rerum: & temporum: & locorum: & perſonarum: & vſus ratione comparentur: in ſcurram aulicus deducetur. Nam ſcurra ſola ratione: qua poteſt mouere riſum: conſiderata: veſtium nictore: ac corporis cultu vtitur: quibus eſſe ſcurrilitatibus accommodatus poſſit. vnde ſcurræ nec veſtes ſeruant eaſdem: nec corporis cultum eundem: ſed pro ratione dumtaxat: qua riſum moueant. hæc omnia mutant: ideo deuenire ad indiuidua in talibus non eſt artis:

Vtrum loca ſcurrilitatum & vrbanorum accipi poſſint: de quibus ars eſſe poſſit.

Cap. LIIII.

POſt hæc de locis ſcurrilitatum differendum: intellegendo per locum id omne: e quo componere ſcurrilitatem vel vrbanitatem poterimus. verbi cauſa cum eſſet interrogatus Diogenes: qui mulierem in

publico cognoſcebat: quid nam faceret? reſpondit: planto hominem: vrbana quidem reſponſio fuit: cuius locus eſt a ſimilitudine conſerendi: nam & qui lactucas vel vites conſerit: plantat eas: & qui cum muliere concubat: hominem etiam plantare videtur. Ad hæc & ſermo Socratis ad Alcibiadem de Xanthippe: quæ cum in eum prius conuitia & maledicta iaculata eſſet: poſt modum vero & ſordidis aquis hominem perfudiſſet: non ne inquit: dicebam Xenthippen tonantem quandoq̧ pluturā. locus etiam a comparatione pluuiæ ad aquam: & tonitrui ad murmurationem Xanthippes. Eſt igitur differendum poſſit ne per loca tradi ars: ex qua & ſcurriliter & vrbane dicere quiſpiam poſſit? primo itaq̧ aſpectu ita poſſe tradi ratio demonſtrat: nam cum ſcurrilitates ac vrbanitates poſſint recte: & non recte fieri: ſitq̧ ars eorum: quæ poſſunt in rectum & obliquum dirigi: videtur de his artem tradi poſſe: vt per eam ſcurrilitates ac vrbanitates exerceamus recte. Quintilianus vir non contemnendus libro .vi. oratoriarum inſtitutionum artem huiuſmodi penitus ſubſtulit: primo quidem: quoniam in riſu varia ſunt hominum iudicia: quia non ratione aliqua: ſed motu animi quodam: neſcio an enarrabili iudicatur. vt antea decebamus. quare cum riſus contingat a motu animi ridentis: non autem hominis prouocantis: videtur non eſſe in poſſe ſcurræ eum prouocare. igitur ars fruſtra erit. Præterea (vt inquit) nec hoc ab vllo ſatis explicari puto: licet multi tentauerint. quia riſus nō ſolū facto aliquo dictoue: ſed interdum quodam etiam corporis tactu laceſſitur: præterea non vna ratione moueri ſolet. neque acute tamen: ac venuſte: ſed ſtulte: iracunde: timide dicta: ac facta ridentur: Ideo anceps eius ratio eſt adeo: vt nulla ars aſſignari poſſit. quibus addas ꝙ licet riſus videatur res leuis: & quæ a ſcurris: mimis: inſipientibus deniq̧ ſæpe moueatur: habet tamen vim neſcio an imperioſiſſimā: & cui repugnari minime poteſt: erūpit enim inuitus ſæpe: vt nec vultus modo ac vocis exprimat confeſſionem: ſed totum corpus vi ſua

cõcutiat: rerum autẽ ſæpe (vt dixi) maximarum momenta vertit: cum odium iramq; frequentiſſime frangat. Documento ſunt iuuenes Tarentini: qui multa de Pyrro Rege ſecurius inter cœnandum locuti: cum rationem facti a rege repoſcerentur: & neq; negari res neq; defendi poſſet: riſu ſunt & oportuno ioco elapſi. Namq; vnus ex iis: imo inquit niſi lagœna defeciſſet occidiſſemus te: eaq; vrbanitate tota eſt inuidia criminis diſſoluta. Quæ ratio docet nullam in his poſſe artem conſtitui: cum ex tempore occurrerint. Accedit difficultati. q; eius rei nulla exercitatio eſt: nulli præceptores: vtiq; in conuiuiis & ſermonibus multi dicaces: ſed quia in hoc vſu quotidiano proficimus: vrbanitas ex arte rara. videtur ergo mihi Quintilianum iure huiuſmodi artem ſubſtuliſſe: primo ex parte prouocantis: nam prouocans riſum: niſi extemporaneus ſit: non mouebit: nemo autẽ poteſt in iis: quæ extemporanee agit: arte vti: cum ars ſine ratiotinatione & conſultatione non valeat: at conſultatio atq; ratiotinatio tempore indigent. Deinde ex parte prouocati ars inutilis eſt: cum varia de riſu iudicia hominum ſint: vt non ſit in poſſe ſcurræ prouocare riſum in Heraclito: qui omnia flebat: in Democrito facile. Ex his perſpicuum eſt artem in huiuſmodi fieri non poſſe: & ſi poſſet: ſcurræ qui loquendo mouet riſum: inutilẽ eſſe: cum ea ex tempore vti nequaquam poſſit. Quare cum Quintiliano non audeo dicere id carere omni arte: quia non nullã obſeruationem habet: ſuntq; ad id pertinentia & a græcis: & a latinis compoſita præcepta: itaq; plane affirmo riſum præcipue poſitum in natura & occaſione. porro natura non tamen in hoc valet vt acutior quis atq; habilior ſit ad inueniendum (nam id ſane doctrina poſſet augeri) ſed ineſt ſuus quibuſdam decor habitu atq; vultu: vt eadem illa dicente alio minus videantur vrbana eſſe. occaſioni vero & in rebus eſt tanta vis: vt ſæpe adiuti ea non indocti modo: ſed etiã ruſtici ſalſe dicant: vt in reſpõdẽdo ei: qui aliquid dixerit prior. ſunt enim longe venuſtiora omnia in reſpõdẽdo: quã in prouocãdo. ſic igitur totã artem delego naturæ prouocãtis:

& occaſioni: vt Quintilianus tradit. Sed dices fortaſſe & ſi ars inutilis ſit ſcurris atq; vrbanis in loquendo: vtilis eſſe poterit eis in ſcribendo. fortaſſe enim Boccatius Pogius ac cæteri licet ex arte non potuiſſent vrbanis ac ſcurrilibus vti: quia in iis: quæ ex tempore fiunt: non confert ars: (vt probauimus) tamen in ſcribendis huiuſmodi ſermonibus: ex arte potuerunt ſcribere: & ita ſcripſerunt. Equidem procul dubio cum Quintiliano ſentio: qui in loquendo ſcurris atq; vrbanis omnino artem ſubſtulit: & ſi multæ adſint rationes: potiſſimum ea ratio me compellit: quia in iis quæ ex tempore fiũt: nulla poteſt eſſe ars: inſuper etiam quia licet per genera loca aſſignari poſſint: per ſpeciem tamen nequaquam: Quippe cum ſint infinita: quorum ars nulla eſſe poteſt. quod vero ſint infinita: nemo dubitare debet: nam ridiculum quod vrbanus vel ſcurra inducit: conſiſtit in quodam receſſu ab ipſo recto cum indolentia. delinquere autẽ a recto infinitis modis fit: vt Ariſtoteles probauit: ſicuti delinquere a medio. contingit enim ad mediũ accedere vno modo: recedere vero infinitis. Quare cum delinquere a recto ſit infinitis modis: hoc docere non artis erit: nec in ſcribendo: nec in loquendo. non tamẽ nego per genera & loca de riſu præcipi poſſe: & ex illis artem colligi poſſe: quam Ariſtoteles docuit: tum ex parte prouocantis: tum ex parte ſermonis. Iuniores vero qui laborarũt in huiuſmodi tradere artem per ſpecies: fruſtra ſudauerunt. quoniam (vt diximus) nec in loquendo: nec in ſcribendo ars aſſignari poteſt: in ſcribẽdo quidem non: præ infinitate locorum: qui per ſpecies deſiderantur: in loquendo vero minime: & propter locorum infinitatem: & propter ea: quia eorum quæ ex tẽpore fiunt: ars non eſt: per genera autem artem eſſe Ariſtoteles probauit: & Quintilianus non negauit. vnde cum Ariſtoteles .iii. rhetoricorum libro dixiſſet: poſſe facete dicere eſſe hominis natura ingenioſi & exercitati: ſed docere facete dicere eſſe artis: intellexit non eam artem: quæ ad loca pertinet: quæ per ſpecies colliguntur: ſed quæ per genera: nam loca quæ ſumuntur per

ſpecies: ſunt infinita: nulla arte comprehenſa. Ideo Ariſtotelis loca: quæ per genera compræhenduntur: aggrediamur: poſtea exempli cauſa: non nulla colligamus ex authoribus per ſpecies. quæ ſaltem in ſcribendis vrbanitatibus; atq; ſcurrilitatibus aliquid fructus afferent.

De locis per Genera.

Cap:LV.

SVnt itaq; loca ſcurrilitatum: atq; vrbanitatum ex parte eius: qui ad riſum prouocatur: & ex parte eius: qui prouocat: & ex parte ſermonum: quibus prouocatio agitur. ex parte quidem eius qui prouocatur: ſunt natura: & oportunitas. natura quidem: nam niſi prouocatus fuerit ſuapte natura riſiuus: fruſtra ſcurra: vel vrbanus mouet ad riſum. oportunitate vero: quoniam qui prouocatur ad riſum: vno tempore aptior alio minus aptus habetur. Inſuper qui ad riſum mouetur: vno tempore quædam facit: aut dicit: ex quibus ſcurra: vel vrbanus facile occaſione captata mouere poterit ad riſum: vt Socrates fecit de vxore: non enim Alcibiadem mouiſſet ad riſum: niſi occaſione captata ex iis quæ fecit vxor: nec inſuper Iuuenes Tarentini flexiſſent iratum Pyrrhum: niſi ex cœna occaſionem nacti eſſent. Ex parte vero prouocantis: vt in iis: quæ dicit: vel facit: vel geſtit: non ſit affligens: nam quæ affligunt: vel mouent ad commiſerationem: vel ad vltionem: vel ad odium: vultum quoque adiungat: vbi opus eſt: ac geſtus: motuſq;: quibus ea per quæ riſum mouet: præ oculis videantur. verba quoq; diſponat vt curas ſedet: ac moleſtias deliniat. veſtibus inſuper ſe induat: quibus aptius riſum concitet: gratiam præterea enitatur adiungere iis: quibus riſum mouet: vt cũctis videatur gratus. Ex parte vero ſermonũ generatim

loca ſunt: quæ accipiuntur a translationibus: a ſimili tudinibus: a clauſularum oppoſitione: a lingua: a nominibus: ab epithetis: verum aliter in ſcurrilitatibus aliter autem in vrbanitatibus. in vrbanis enim tranſlationes conuenientes fuerint: ſimilitudines apertiſſimæ: potiſſimumq; in ſermonibus earum vſus non fuerit creber: ſed locis: temporibuſque accommodatus. oppoſitiones vero ſuauiſſime. at lingua non erit ex nominibus compoſitis: neque ex priſcis: neque ex fictis: ſed accommodata principi: ac cunctis: qui in aula viuunt. Epitheta autem quæ & adiectiua dicuntur: non erunt abuſitata: qualia ſunt epitheta longa: nimiſque remota a ſubſtantiuis: quibus adiacent: inſuper & qualia ſunt epitheta crebra. At in ſcurrilitatibus contra: fiunt enim ſcurriles ſermones interdū: cum nominibus: ſcurra vtitur fictis: vel compoſitis: vel priſcis: interdum vero cum adiectiuis remotis: vel alienis: vel crebris. non nunquā cum vtitur tranſlationibus incongruis: atque ſimilitudinibus: vel ridiculis: vel grauibus: vel obſcuris: vel remotioribus: hæc itaq; loca ſunt per genera: Quæ ex iis colliguntur: quæ Ariſtoteles inquit. iii. rhetoricorum libro. exempla vero horum: quia facile perſpicua ſunt: bona fronte prætermittimus: non enim opus eſt cuncta dicere: ſed ea: quæ apud bonorum authorum vſum reperiuntur. cum præſertim per loca: quæ dicemus infra: exempla generum perſpicua futura ſint.

De locis per ſpecies: & primo de eis: quæ ſumuntur ab ambiguo.

Cap:LVI.

SVper eſt modo loca per ſpecies tranſigere: non omnia: quoniam ſunt vel infinita: vel admodū multa ac fere incompræhenſibilia: ſed quædam: non quidem vulgata: ſed quæ apud Illuſtres authores

colliguntur: quorum primus eſt ab ambiguo: cum Didymon curaſſet oculum virginis: Diogenes dixit: caue ne abs te corrũpatur κόρη quoniã apud græcos κόρη virginem ſonat: atq; oculi pupillam: ideo luſit Diogenes ex ambiguo. Clarius autem exponamus: olim erat magna ſepulchrorum religio: eaq; pars agri quæ ſepulchro erat dicata: nõ proſcindebatur aratro: Vectius itaq; quum nihil hac religione deteritus: patris monimentum exaraſſet: Auguſtus facete iocatus eſt: hoc ingens eſt vere patris monimentum colere. luſit enim ancipiti verbo colimus: nam & colimus ea: quæ veneramur: & colimus agrum: vel aliud ſimile. Inſuper cum filius Fauſti Syllæ ob æris alieni magnitudinem ſupellectilem ſuam proſcripſiſſet: hanc inquit proſcriptionem magis approbo quam paternam: luſit enim ambiguo verbo: nam proſcribuntur res: quæ in auctionem vænales exponuntur: & proſcribuntur homines ob delicta: quo crudeliſſimo genere Sylla quam plurimos ſenes proſcripſerat. præterea Philippus cauſam agens: quum puſillus teſtis prodiſſet: licet ne inquit rogare? cumq; quæſtor properans dixiſſet: licet modo breuiter: hic Philippus non accuſabis per pauxillum rogabo: primum in teſtem riſus obortus eſt. ſed mox in iudicem Lucium aurificem conuerſus: qui ſedebat: ipſo teſte breuior.

Secundus ab inexpectato.

Cap.LVII.

SEcundus vero locus ab inexpectato ſumitur: quale fuit illius reſponſum qui percontanti quid nam vellet, vt colaphum acciperet: galeam inquit: eſt hic locus ab inexpectato: ille enim expectabat quid mercedis peteret pro colapho. & illud pogii cum dux Mediolanenſis ingens bellum cum florentinis haberet: nec

nuncios

nuncios: vt ſperabat: reciperet: oblatis poſt modum ad menſam epulis: cum ſapores optimos dux improbaret: ac epulas: vt non rite conditas aſpernaretur: accitumq́ꝫ cocum veluti ignarum artis acriter increparet: tum cocus: qui in loquendo liber erat: ſi florentini inquit tibi guſtum: atq́ꝫ appetitum auferunt: quæ nã mea culpa eſt. riſit Dux coci facetam in reſpondendo libertatem. eſt hic locus ab inexpectato: quia non illud dux expectabat a coco. Et illud pogii apud fancinum canẽ: qui fuit vir crudelis: querebatur quidam ſe expoliatũ chlamyde in via a quodam eius milite: hunc intuens fancinus veſtitum tunicam bonam: quæſiuit: an illam cum ſpoliaretur geſtaſſet: cum ille annueret: Abi inquit: hic quem dicis te expoliaſſe: nequaquã eſt ex meis militibus. nam nullus meus miles vnquam tibi tam bonam tunicam reliquiſſet: & illud: vir in dicendo liberior: cum audatius loquens in palatio pontificis geſtu: locoq́ꝫ diſſolutiore vteretur: ſotius quidam inquit: quid agis: ſtultus quidem diceris? Tum ille hoc inquit permagni lucri loco ponerẽ: non enim alio pacto poſſum charus eſſe his: qui nunc regnant cum ſtultorum hoc tempus exiſtat: atq́ꝫ hi ſoli potiantur rerum.

Tertius locus ex addito

Cap: LVIII.

EX addito ſolent etiam iocari. Nam Memmio cuidam vituperanti Catonem vticenſem dicentiq́ꝫ ꝙ totas noctes ebrius eſſet: At illud inquit Cicero non addis eum totos dies aleam ludere: vrbane excuſans Catonem: qui cum totum diem rei publicæ negotiis daret nocturnas tamen aliquot horas ſumebat laxãdi animi gratia. Et illud pogii quidam florentinus adoleſcens non magni conſilii amico narrauit peragrandi orbis cupiditate ſe mille florenos velle profundere: vt

quanti eſſet noſceretur: tum alter: cui probe notus erat: ſatius eſt inquit: duo milia expendas: vt des operam ne cognoſcaris. Querebatur vir quidam cum vxori veſtem magni pretii emiſſet: nunquam ſe matrimonio vſum quin ſinguli congreſſus amplius aureo numo computari poſſent: cui vxor inquit: hoc quippe tua accidit culpa: cur enim non toties concubitu yteris: vt numo æreo conſtet? Quidam vini bibulus incidit in febrem: ex qua multo maiorem ſitim contraxit: accerſiti medici: cum de remouenda febre: & ſiti agitarent febris tantum inquit ægrotus remouendæ officium & onus ſumatis volo: ſitim autem mihi curandã relinquite.

Quartus ex deprauatione.

Cap:LIX.

Ex deprauatione etiam iocari conſueuerunt. Quoniam Tyro in caſtris auidius bibebat vinum: militari ioco pro Tiberio: claudio: Nerone: dictus eſt Biberius: Caldius: mero. Cum eſſet in noſtris ſcholis Tiberius nomine: cognomine vero ruſſilianus: alũnus noſter: qui ingenii promptitudine cum diſputaret facile veniebat admanus: quare ego deprauando nomen ipſum Turberium vocabam. Cum etiam eſſet alius nomine Antonius de larina: qui rixas ponebat inter alumnos: eum cœpi nuncupare Antonium de latrina: quod eſſet fœtidus more latrinæ. Et illud pogii cum animi relaxãdi gratia Zuccarus ſtaret in domo cuiuſdam ſponſæ reſpiciens vna pſallentes viros ac mulieres: tunc ſubridens Zuccarus voce perſonora dixit: iſti patrimonium conſumunt: ego iam patrimonium conſumpſi: facete in ſe ipſum dixit qui diſſipatis paternis bonis: omnia abſumpſerat.

Quintus ex nomine:

Cap:LX.

EX nomine inſuper ludunt: vt Marcus Tullius in nomen verris iocatus eſt: quaſi ſic dictus eſſet: ꝙ omnia verteret: hoc eſt nihil reliqui faceret homo furax. Quo genere iocandi quidam furem pro Tullio Tollium dixit: In Gn: Domitium Sexti Neronis Atauum cui cognomé fuit Aenobarbo: Lucius Craſſus orator dicere ſolebat: non eſſe mirandum ꝙ Aeneam haberet barbam: cui os ferreum: cor plumbeum eſſet: os ferreū obiiciens propter ſummam impudentiam: cor plumbeum ob ingenii ſtuporem: Sextus Syllæ filius in ſororē: quæ eodem tempore cum duobus adulteris haberet conſuetudinem: Fuluio fullonis filio: & Pompeio cognomento macula: facetiſſime luſit: Miror inquit ſororem meam habere maculam: cum fullonem habeat. Scipio in næuium quendam: quid hoc inquit næuio ignauius? luſit e contrario mutata literula. L. Craſſus Mummium cognomento diuiſorem dixit ita ſibi nomen inueniſſe in campo martio: quemadmodum Neoptolemus venerat ad troiam.

VI Ex ſimilitudine

Cap:LXI.

CVm quidam candidatus: qui coquo patre natus credebatur: coram Cicerone ſuffragium ab alio peteret: Ego quoque inquit tibi fauebo, ex quo colligere coqꝫ a coquo: & quoque coniunctionem aut eodem aut quam ſimillimo fuiſſe ſono.

VII Ab abſurdo.

Cap.LXII.

ALius etiam ab abſurdo locus eſt: nam Manius curius Campatium de theatro exeuntem interrogauit: num ſpectaſſet. Campatius ſtultitiam hominis ſic irriſit: non inquit: ſed in orcheſtra pila luſi. quid enim aliud feciſſet in theatro: niſi vt ſpectaret? quaſi quis e balneo exiens rogetur an lauiſſet: ſed multo abſurdius eſt in orcheſtra pila ludere.

VIII Ex verbis aliter exceptis vel ex clauſularum oppoſitione.

Cap.LXIII.

ALius locus eſt inſuper ex verbis aliter exceptis: vel vt Ariſtoteles inquit: ex clauſularum oppoſitione: nam Salinator cum Tarentum amiſiſſet: arcem tamen retinuit: multaq; prælia præclare geſſit. cum autem poſt aliquot annos Fabius maximus id oppidum recepiſſet: rogauit eum Salinator vt meminiſſet ſe opera ipſius tarentum recuperaſſe: quid ni inquit Maximus meminerim. nunquã enim ego recuperaſſem: niſi tu perdidiſſes. locus hic eſt ꝙ maximus diuerſum ex alterius verbis excepit: q̃ ille volebat. Et illud pogii. Abbas quidam homo corpulẽtus & pinguis: veſperi Florentiam proficiſcens: interrogauit ruſticum obuium: an portam ſe poſſe ingredi exiſtimaret: intellexit Abbas an putaret ſe peruenturum in vrbem antequam clauderentur portæ. ille vero in pinguedinem iocatus: atq; inquit: plauſtrum fœni ne dũ tu portam introiret.

IX ab imitatione perſonæ

Cap.LXIIII.

EſSt inſuper. IX. locus ab imitatione perſonæ. Nam Q. Opimius conſularis: cum eſſet adoleſcētulus: male audiuit. Is Aegilio homini feſtiuo: qui videbatur mollior: nec erat: ſic exprobrauit mollitiē: quid tu Aegilia mea: quando ad me venies cum tua lana & colo? lepide retorſit Aegilius non pol inquit audeo. nam me ad famoſas vetuit mater accedere. Alter ſimulabat orationem velut ad fœminam. Alter accepta perſona ſimulationem vertit in irriſionem. Et illud pogii: cum Epiſcopum Romæ palatium petētem quidam detecto capite honoraret: neq̧ reuerentiam animaduerteret epiſcopus: ſuperbia atq̧ arrogantia ille id factum exiſtimans: hic inquit aſini ſui medietatem nequaquam reliquit domi: totum enim ſecum defert: ſignificans eſſe aſinum: qui ſe venerantibus non reſponderet.

X a ſubmoroſo.

Cap:LXV.

INter ſalſa commemorat & Illud. M. Tullius ex Næuio: apud quem filius dicit patri: quid ploras pater: iſque reſpondet: mirum ni cantem: condemnatus ſum. Indignatur ſenex ſubmoroſus rogari cur ploret: quaſi damnatus magis cantare debuiſſet: perinde ac ſi quis interroget ægrotum cur ſuſpiras: aut cur recumbis?

XI Locus e vocabulis

Cap:LXVI.

ALius quoq̧ e vocabulis accipitur: nam duo erant fratres: quorum alteri nomen Amphoteros: quod græcis ſonat ambo: Alteri Hecateros: quod illis ſonat vterq̧: Philippus itaq̧ animaduertens Hecateron eſſe cordatum: ac gerendis rebus accõmodatum: contra Amphoteron ineptum ac degenerẽ: inuertit illis nomina: dicens Hecateron eſſe amphoterõ: Amphoteron autem eſſe vdeteron. id eſt neutrum: ſignificans alterum fratrum videlicet Hecateron duorum in ſe virtutes complecti: alteri nihil relictum. itaq̧ ei; qui Amphoteros dicebatur: mutauit nomen in cõtrarium: vt ydeteros diceretur quaſi nullius pretii.

XII Locus ex tranſlatione.

Cap:LXVII.

DE tranſlatione infinita aſſignari poſſunt exempla: ſed illud Veſpaſiani inducitur primo: qui in quendam proceræ ſtaturæ: ſed improbius natum: torſit illud Homeri: longam haſtam quatiens: diductis paſſibus ibat. Et illud quoq̧ præceptoris mei in quendam ob longum: o quam longus eſt malus dies: illud præterea noſtrum ad Galeatium florimontium Alumnum: cum enim nocte quedam lunam poſt multas pluuias imbreſq̧ velde lucentem cernerem: interrogatus ab eo: quid de temporis ſerenitate: reſpondi profecto bene: lucet enim luna ſicuti inciſa vitis: ſcurrilis metaphora. nam vitis inciſa flenti comparatur. Et illud pogii: cum duo Abbates ad Petrum de Luna venirent: atque illis comſpectis duos coruos ſe adire dixiſſet: non mirum dixerunt: ſi corui ad eiectum

cadauer accederent exprobantes ei quod a conſilio damnatus pro cadauere haberetur. Ego autem ſcurriliter lunæ lucenti. & alia ſex centa talia.

XIII Locus ex ſpecie corporis.

Cap:LXVIII.

EST præterea alius locus ex ſpecie corporis: quem de Tito patre narrat Suetonius. cum enim ſcurram multa in alios iacientem prouocaſſet: vt in ſe quoque diceret aliquid: dicā inquit: vbi ventrem exonerare deſieris: alludens ad formā Cæſaris: qui faciem habebat nitentis: in cuiuſmodi hominem iocus extat Martialis. vtere lactucis: ac mollibus vtere maluis nam faciem durum phoebe cacantis habes.

XIIII Locus e fabula.

Cap:LXIX.

ACcipitur etiam non nunquam locus e fabula: Nam cum Sextus Titius Caſſandram ſe eſſe diceret: ob diuinandi peritiam & ſibi habitam in credulitatem opinor: multos inquit Antonius: poſſes Aiaces tuos oileos nominare: notans illius impudicitiam. Nam Aiax Caſſandram de templo palladis raptam vi ibidem conſtuprauit.

XV Locus ex morbo.

Cap:LXX.

CVm eſſet Philippo clauicula in bello fracta: ac Medicus a quo curabatur: per ſingulos continue dies aliquid efflagitaret: ſume inquit quantū

voles: nam clauem habes: ludens ancipiti voce: cleis enim græce & clauem ſonat: qua aperitur ſcrinium: aut oſtium: & commiſſuram humeri cum pectore. quid hoc animo vrbanius: cui in dolore: in auarum medicum iocari libuit: atq; nec ob cruciatum moroſior: nec improbitate efflagitantis offenſior factus eſt:

Locus XVI a ſimilitudine.

Cap:LXXI.

EST inſuper a ſimilitudine locus. Nam cum Diogenes a lethali ſomno eſſet experrectus: medicuſq; rogaret quid ageretur: recte inquit: nam frater: fratrem amplectitur: alludens ad Homerum: qui θανατον: & ὕπνον germanos finxit: quod ſomnus mortis ſit imago: Veſpeſianus pater: cum morbus ingraueſceret ſibi: dixit: puto deus fio. ſignificans ſe moriturum. ſolebant enim extinti Cæſares dicatis templis & aris erectis publicis cærimoniis in deorum cœtum referri. Et illud Pogii: cum multi peterent a Mediolanenſi duce varia beneficia: cocus ſummopere in cœna rogauit: vt ſe aſinum faceret: miranti duci quid ſibi ea poſtulatio vellet: omnes inquit video quos in ſublime extuliſti: quibuſue honores & magiſtratus dediſti: ſuperbia atq; faſtu elatos atq; inſolentes euaſiſſe aſinos: itaq; Ego quoq; aſinus a te fieri cupio. facetus eſt hic locus a ſimilitudine acceptus.

XVII Locus ab accentu: ſeu figura dictionis.

Cap:LXXII.

A Figura dictionis locus facetus fit perſæpe: per quem Sextus Nero in Claudii ſtultitiam iocari ſolebat productione ſyllabæ: cum diceret: hic

Inter viuos non deſinet morari prima ſyllaba produ-cta: moros enim græce fatuum ſonat: inde finxit mo rari pro ſtultum agere: quemadmodum nos a poeta poetari: & a iuuene iuuenari deducimus.

XVIII Locus a parentum ſimilitudine retortus.

Cap:LXIII.

VSus eſt etiam Auguſtus loco a ſimilitudine parentum. Nã quemadmodum ipſe gaudebat iocis liberalibus in alios ludere: ita in ſe retortos interdum liberius patientiſſime tulit. Adoleſcens igitur quidam prouincialis Romã venerat oris ſimilitudine tam mirifice referens Auguſtum: vt in ſe populi totius oculos conuerteret. Cæſar hoc audito iuſſit ad ſe hominem perduci: eũq; contemplatus hunc in modum percunctatus eſt: Dic mihi adoleſcens: fuit ne aliquãdo mater tua Romæ? negauit ille: ac ſentiens iocum: retorſit adiiciens: ſed pater meus ſæpe. Auguſtus igitur ludens ſuſpicionem intendebat in matrẽ adoloſcentis vertere: veluti a ſe ſtupratam: at adoleſcens protinus eam retorſit in matrem Cæſaris: aut in ſororem. nam oris ſimilitudo non magis arguebat illum eſſe Cæſaris filium quam fratrem: aut nepotem.

XIX Locus a crudeli.

Cap.LXXIII.

VSus quoq; eſt Nero loco crudeli aliquãdo. Nam Veſtinus conſul cum eodem die omnia munia conſularia obiiſſet: e conuiuio repente ad mortẽ raptus eſt. Cõuiuæ nihil aliud quam exitum expectabãt horũ Pauorẽ irridẽs Nero: dixit illos ſatis ſupplicii luiſſe epulis cõſularibus priuatos. dicas hoc a Clemente dictum: ſi cætera Neronis facinora ſpectes.

XX Locus ab obliquo.

Cap.LXXV.

EST & alius locus ludendi ab obliquo: nam cum Cicero ab hoſpite ſuo .P. Manlio rogaretur. vt decurionatum priuigno ipſius expediret: aſſiſtente frequentia ciuium dixit: ſi ius habebit Pompeius difficile eſt: Cæſaris in legendo ſenatum notans facilitatem. Et illud pogii: ruſticus cum caſtaneam arborem ad excutiendos fructus aſcendiſſet: decidens ex ea coſtam pectoris effregit: ad hunc conſolandum acceſſit Minatius: qui interloquendum daturum ſe normam illi dixit: qua ſeruata nunquam ex arbore caderet: vellem inquit ruſticus antequam æger eſſem: conſuluiſſes: Et illud cum quidam ſagittam incautius emiſiſſet aſtantemq; procul Rodulphum leuiter vulneraſſet: capto illo cum variæ de pœna inferenda ſententiæ dicerentur: & vt quiſq; acerrime ſentiret: ita ſe maxime principi gratificaturum putaret: vnus cenſuit manum illi eſſe amputandam: ne amplius arcu vteretur: Rodolphus liberū hominem dimitti iuſſit dicens: illam eſſe vtilem ſententiam: ſi ante acceptum vulnus conſilium dediſſet.

XXI Locus ab intempeſtiuo.

Cap.LXXVI.

L. Portius Naſica cum ex more conceptis verbis a Catone cenſore rogaretur: habes ne vxorem ex animi tui ſententia: habeo inquit: At Hercle non ex animi tui ſententia. verum ob eum locum intempeſtiuum: mulcta illi indicta eſt.

XXII Locus ab interpretatione retorta.

Cap:LXXVII.

ESt etiā locus a retorta interpretatione. quidā enim conſpiciens lacedæmonium claudum ad pugnam pedibus exeuntem: cum ei equum vt pote debili neceſſarium duceret: non intelligis inquit Ageſilaus: in bello opus eſſe: non his qui fugiant: ſed qui pro loco maneant: ſignificans eos demum eſſe militiæ vtiles milites: quibus decretum eſt in prælio aut vincere: aut mortem in loco oppetere. Quoniam vero perſarum numiſma ſagittarium habebat inſcultum: ex aſia diſcedens Ageſilaus aiebat ſe triginta ſagittariorum millibus a rege ex Aſia depelli: facete dictum. tot enim perſicorum aureorum millibus Athenas ac Thebas deportatis: & in plebis moderatores diſtributis Timocrates effecerat: vt populus hoſtilem animum aduerſus militem ſuſciperet. Menecrates medicus quidam cum deſperatæ quædam curationes ei fœliciter ceſſiſſent: populari adulatione dictus eſt Iuppiter. hoc cognomento vir arrogans delectatus: inſolentius vſus eſt eo titulo. tandem & cum Ageſilao ſcriberet: nec veritus eſſet hac vti ſalutatione: Menecrates Iuppiter Ageſilao regi ſalutem: Rex hoc offenſus titulo: cætera non dignatus eſt legere: ſed reſcripſit in hunc modum Rex Ageſilaus Menecrati ſanitatem. eſt enim apud græcos υγιαίνειν ambiguum verbum fere in malum ſonans: ſignat enim abeſſe ſanitatem mentis. Et illud pogii: cum Patriarcha hieroſolymitanus cum Vrbano Pontifice .vi. acriter contenderet: maloque capite eum dixiſſet eſſe vrbanus: hoc idem inquit ille: & de te vulgo dicunt homines pater ſancte. Cum quidam inter iurgandum Razelo bononienſi diceret Ego te centies die oppignoratum relinquerem apud cauponam: Razelus hoc tibi inquit facillime concedo. cito enim res magni pretii: & bonæ dari pignori poſſunt:

tu vero ita nequam vilis: ac abiectæ conditionis es: vt ſi quis te per omnes fori tabernas · & cauponas circũ ferret: nemo te nec pro æreo quidẽ numo vellet accipere.

XXIII a maiore.

Cap.XXLVIII.

A Maiori quoq; iocari ſolemus . Nam Antigonus Rex Macedonum in extorquendis pecuniis acer erat: quibuſdam itaq; dicentibus: at non talis fuit Alexander: merito inquit: nam ille metebat Aſiam: Ego calamos lego: ſentiens opulentiſſimam aſiam ab illo ſpoliatam: ſibi a ſpoliatis corradendum: quod poſſet . Et illud pogii: cum veneti quidã nauiculam plenam meretricibus ferrent ferrariam: mulier tum quædam ſupra padum aſtans illas conſpicata: o ſtulti inquit an putabatis meretrices vobis ferrariæ defuturas? Inſuper qua die Angelotus romanus factus eſt a Pontifice Eugenio Cardinalis: quidam Laurentius ſacerdos romanus domum rediit hilaris applaudens: totuſq; in riſum: ac lætitiam effuſus: cum rogarent vicini quid nam ſibi obtigiſſet noui: quod iam lætus: ac alacris eſſet: bene inquit eſt: magna in ſpe ſum: poſtquam dementes ac inſani Cardinales fieri cœperunt: nam cum Angelotus me amentior ſit: Cardinalem me quoq; ſpero futurum.

XXIIII Locus a Talione.

Cap:LXXIX.

A Conuerſione etiam loco ludere ſolemus non ſemel: Antagoram poetam in tentorio congrũ piſcem coquentẽ:atq; ipſum patellã verſantem

depræhendit Antigonus a tergo ſtans: eiq; dixit: putas ne o Antagora Homerum cum Agamennonis res geſtas ſcriberet: coxiſſe congrum? contra hæc Antagoras: & tu rex: putas ne Agamennonem cum illas res gereret: fuiſſe curioſum: ſi quis in exercitu congrum coqueret? æquo animo tulit rex ioci talionem: quaſi inter pares res ageretur.

XXV Locus ab improba poſtulatione.

Cap:LXXX.

AB improba etiam poſtulatione iocamur: Thraſyllo Cynico petenti drachmam: Antigonus non eſt inquit munus regium. Cynico deinde ſubiicienti: talentum igitur da: At non eſt inquit res digna: Cynicum tale munus accipere. vtroq; cornu repulit poſtulatoris improbitatem: quem exiſtimabat nullo dignum beneficio. Et illud pogii: interrogata ſemel a viro mulier: quæ nam cauſa eſſet: cur cum in coitu voluptatis ita particeps eſſet fœmina ſicut & vir: tamen homines potius ſequerentur mulieres quam illæ viros. Tum illa ſumma cum ratione inquit hoc inſtitutum eſt: vt potius nos requiramur a viris: conſtat enim paratas ac promptas nos ad concubitum ſemper eſſe: vos non ita: fruſtra ergo viri peterentur a nobis: cum eſſent imparati.

XXVI Locus ab æquiuoco.

Cap:LXXXI.

IOcamus etiam per æquiuoca: exemplo nobis ſit Auguſtus: qui ſcripſerat Tragœdiam: cui titulus erat Aiax: eam poſtea (quoniã diſplicebat) ſpõgia

deleuit.itaq; cum eum Lucius tragœdiarum ſcriptor interrogaret: quid ageret ipſius Aiax: Cæſar admodum facete: in ſpongiam inquit incubuit: alludens ad argumentum fabulæ: in quo aiax cum reſciuiſſet: quæ dixiſſet: feciſſetq; per inſaniam: gladio incubens ſibi necem conſciuit. Et illud Pogii: Minatius cum aliquando nō nullos numos & veſtes per talorum luſum (egenus enim erat) amiſiſſet: flens ad oſtium tabernæ cuiuſpiam ſedebat: quem videns mœrentem flentemq; amicus: quidnam eſt tibi inquit: nihil Minatius ait: cur nam ergo ſi nihil habes: ploras: hoc ſolum: quia nihil habeo inquit: admiratus ille iterum percontatus eſt: quare ergo ſi nihil habes: lachrymaris: ob hanc ipſam cauſam reſpondit· quia nihil eſt mihi. Alter nihil eſſe cauſæ cur ploraret intelligebat: Alter nihil ſibi reliquum ſuper eſſe a ludo plorabat. & illud: tempore quo Florentia ſumma annonæ caritate laborabat acceſſit pauper Monoculus ad forum plura frumenti ſextaria: vt dicebat: empturus: cum a ſe per vænditorem grandis pecunia poſceretur: admiratus eſt monoculus & interroganti quanti valeret ſextarium: hominis oculo inquit conſtat: deſignans his verbis immenſam tritici caritatem: hoc audiens ſcitulus qui aderat puer: cur tu ergo ait tam grandem ſacculum portaſti: cum non amplius quam vnum ſextariū poſſis emere? prædicabat Tibure: frater quidam parum circumſpectus ad populum: aggrauans multis verbis: ac deteſtās adulterium: dixitq; inter cætera adeo eſſe graue tale peccatum: vt mallet ſe decem virgines turpiter cognoſcere quam nuptam vnicam.

XXVII Ab honeſta voluptate.

Cap: LXXXII.

INterdum ob honeſtam voluptatem facetum vitiū derelinquimus: cuius exēplo nobis eſt Demoſthenes: qui cum Corinthum nauigaſſet illectus fama

nobiliſſimi ſcorti laidis: vt & ipſe famoſo amore potiretur: peterēturq; pro nocte drachmarum decem millia: deterritus magnitudine precii: dixit: non emo tanti vnum pœnitere. ſignificans inhoneſtæ voluptatis paratam eſſe comitem pœnitentiam. Alia plurima addere poſſem: tum ex antiquis: tum ex recentioribus: placuit tamen mihi potiſſimum antiqua pro exemplis adducere: nam præterquam: ꝙ ſunt vrbana: ac faceta: ſunt etiam grauiora: & de virorū proborum vita ſumpta: quorum imitatio laudabilior eſt: quam iuniorū. potuiſſem quoq; addere dicteria. ſales: & id genus: quæ cum non ſint aulica: (non enim mouent ad riſum: ſed vel ad vltionem: vel ad odium) iure prætermiſimus: inſuper & ſermones facetos adiicere nobis non fuiſſet admodum difficile: ſed quoniam authores adſunt: vt inter græcos Andronicus: & Hermagoras: inter latinos vero Boccatius: & Pogius: & Maſuccius: & Bramantius: ne librum inanibus impleamus nugis ex laboribus aliorum: bona fronte prætermiſſimus. præſertim cum noſtra intentio non ſit homines confundere: ſed artem (quo ad fieri poteſt) tradere: quæ non niſi breuibus comprehenditur. Oratiô viro doctiſſimo monente: quicquid precipies eſto breuis: & reliqua. Poſt hæc de ſcurrilitatibus: nam (vt diximus) ſcurrilitas eſt turpiloquium turpe: riſum prouocans. ne itaque manibus vacuis recedamus: de his quoq; dicamus quædam.

De Scurrilitatibus: ridiculiſq; antiquorum.

Cap: LXXXIII.

NE itaq; penuria exemplorum liber hic mancus habeatur: exempla non nullarum ſcurrilitatū ac ridiculorum ſubiungere opus eſt primo:

deinde ludificationũ ac ludibriorum: miſcendo ſemper cum veteribus neoterica: vt Cicero & Ariſtoteles fecerunt. apud lacedæmonios itaq̧ hoſpes quidam: cum ipſe ſtans interim altero pede crepida alterum indueretur: dixit cuidam: non arbitror te lacon tantum temporis vno pede poſſe inſiſtere: quantum ego poſſum. lacedæmonius excipiens: fateor inquit: attamen nullus eſt anſerum: qui iſtud non poſſit. obiurgatus Diogenes quia intraret loca ſpurca: ac parum honeſta: & ſol inquit: ſubit latrinas: ac lupanaria. nec tamen inquinatur. cum idem Diogenes ſcortum moraretur: ac præ nimia libidine nõ potuiſſet amplius demorari: maſtupratus eſt: qui cum eſſet obiurgatus: vtinam inquit poſſem ita fricato ventre a fame quiſcere: quẽadmodum fricato pene libidinem eximo. Animaduertens idem Diogenes quendam imperite iaculantem: proxime ſcopum conſedit: cur id faceret interrogantibus: ne forte inquit: me feriat: ſignificans illum quidvis percuſſurum citius quam ſcopum. Catulus Philippo oratori dicenti: quid latras: reſpondit: furem video: contra enim furem canes latrare ſolent. Trachalus Suellio cuidam inter argumentandum dicenti: ſi hoc ita eſt: is in exilium per iocum ſubiecit: ſi non eſt: redis. Teſtio panario mos erat in dicendo mentum intorquere: is cum aduerſariũ vrgeret: vt diceret ſi quid vellet: dicam inquit: ſi nucem fregeris.

Scurrilitates Pogii atq̧ ludibria: & quædam aliorum.

Cap: LXXXIIII.

POgius vero meo iudicio vir non imperitus ſcurrilitates plurimas: ac ludibria compilauit: quas omnes ſcribere ſuperfluũ eſſe putauimus: quaſdam vero pro exemplis inducere: non exiſtimauimus inutile.

inutile. Itaq; cum Cardinalis cũ comitibus pranderet: miniſtriq; abeſſent diuerſis rebus occupati: iuſſit quẽdam Euerardum ſibi ventum flabello mouere. at ille neſcio inquit id veſtro more: Cardinalis vt ſcis inquit & tuo modo facito: tum ille libens me hercule: & ſuſpẽſo dextro crure: pergrandem ventris crepitum ededit: eo pacto ſe ventulum facere ſolitum dicens: quo excitati omnes (multi enim iam aderant) ad riſum ſunt maxime compulſi. Preterea cum Cardinalis Tricaricẽſis eſſet vitæ diſſolutioris: & Altus de comitibus in venationibus illum admoneret multis verbis ad meliores vitæ mores: auditis Alti verbis: ac ſpretis: eueſtigio ſe in equi caput reflectẽs: ventris crepitum edidit ingẽtem: ad barbã tuam inquiens: quo ſolo reſponſo abiit: oſtendens quanti faceret eius admonitiones. Mulier etiam capite ob defectum cutis abraſo euocata foris a vicina ob rem neceſſariam: immemor præ feſtinatione caput tegere: domo egreſſa eſt: eam conſpicata altera mulier increpat: ꝙ nudo capite atq; inuenuſto in publicum prodiſſet. Tum illa vt caput tegeret: veſtes retrorſum a natibus ſublatas ſubſtulit: cumq; caput occulere vellet: anum detexit: Ad hec cum venetus quidam equum aſcendiſſet rus iturus: calcaria in gremio ferebat: cum equus pigre tardeq; ambularet: ille calcaneis armos ſæpius percutiendo: tu non moueris inquit: at ſi ſcires: quid in gremio habeam: mutares paſſus. Poſt hæc Petrus gonella quondam ſcurra non vulgaris: pollicitus ob pauculos numos ſe quendam ferrarienſem: qui id admodum cupiebat diuinatorẽ facere: accerſito vt vna ſecum in lecto cubaret homine: crepitum ventris tacitum in lecto emiſit: deinde eum in interiorem lectũ caput ſubducere iuſſit: quo facto: cum ille fœtore motus eſſet: caputq; ſtatim exerens: crepitum ventris ediſti: (vt mihi videtur) dixiſſet: Tum gonella: ſolue numos: nam recte diuinaſti inquit. Alteri quoq; vt diuinator fieret optanti: vnica inquit pilula te diuinatorẽ reddam: aſſentienti pilam ex ſtercore confectam in os coniicit: ille præ fœtore vomens: ſtercus inquit ſapit:

quod dediſti: tum gonella verum illum diuinaſſe affirmauit: & pretium diuinationis exegit. Deinde ſubigebatur ab adultero mulier ſenenſis: hic cum poſt coitum in eius contumeliam dixiſſet ſe nunquam latiorem vuluam reperiſſe: illa exiſtimans id ſibi laudi eſſe: ex gratia tua hoc inquit dicis: nō meo merito: vtinam mihi ea: quam profers adeſſet copia. nam multo propterea me nobiliorem: atq; pluris æſtimandam putarem. Rurſus cum eſſent complures Florentiæ coloquentes: & ſibi diuerſa bona optantes: tum puer loquaculus: qui aderat: ego inquit: pepo eſſe vellem: rogatus quam ob cauſam: quoniam omnes mihi anū olfacerent reſpondit. Florentinus quidam habebat domi Pædagogum: qui filios litteras doceret: is diutina conſuetudine primo ancillas tum matricem: deinde heram: poſtremo etiam diſcipulos cognouit: hoc cū reſciſſet herus: vocato in ſecretius cubiculum pædagogo: poſtquā inquit meos omnes ſubegeſti: (quod tibi vertat bene) ne quis excipiatur a ſorte: & me quoq; ſubagites volo. Iaceonus Ardingellus Florenti tinus relictus tutor cuidam pupillo: cum bona illius diutius adminiſtraſſet: omniaq; gulæ cauſa aſſumpſiſſet: tandem cum poſceretur ratio geſtorum: iuſſus a magiſtratu producere libros introitus (vt aiunt) & exitus: os & nates oſtendit: dicens nullos ſibi: niſi illos alterum introitus: alterum exitus libros eſſe. Damnabat quidam multis verbis vitam & mores Angelotti Cardinalis defuncti: fuit enim rapax: & violentus: vt cui nulla eſſet conſcientia: tum ex adſtantibus vnus opinor inquit Diabolum iam voraſſe atq; cacaſſe eum ſæpius ob ſcelera ſua: Alter vir ſcurra adeo mala caro eius fuit inquit: vt nullus Dæmon quantum vis bono ſtomacho illam præ nauſea eſſe auderet: Ad hæc Ioannem Andream Doctorem bononiēſem: cuius fama admodum vulgata eſt: ſubagitantem ancillam domeſticam vxor deprehendit: re inſueta ſtupefacta mulier in virum verſa: vbi nunc ait Domine Ioannes eſt ſapientia veſtra? ille nihil amplius locutus in vulua

huius reſpondit: loco admodum ſapientiæ accomodato. Præterea franciſcus quartenſis mercator Florentinus morabatur Ianuæ cum vxore: & familia: cuius filii macilenti erant: & graciles corpore: ianuenſium vero filii habiliores: ac robuſtiores: interroganti ex eis cuidã: cur filii eius ita tenues eſſent: & natura inbecciles: ianuenſium vero non: cauſa eſt inquit in promptu. Ego enim ſolus filios meos creo: vobis vero ad filios procreandos multorum ſubſidia opitulantur. nam Ianuenſes ducta in domum vxore paulo poſt nauigant: vxores derelictas a viris: aliorum præſidio (vt aiunt) annis pluribus relinquentes. Poſt hæc ſcortum erat venetiis vulgare: ad quod diuerſarum gentium viri accederent: rogata mulier: quæ ſibi hominum natio maiore membro virili eſſe videretur: eueſtigio reſpondit venetorum. quoniam inquit tam longo ſunt priapo: vt cum ſæpius in remotiſſimis & vltra mare ſitis prouintiis verſentur: tamen cum vxoribus coeant: & procreent filios. Tyrannus quoq; ad exhauriendum bonis ſubditum qui ſe multa facturum iactabat: ſub graui pœna præcepit: vt aſinũ litteras doceret. ille impoſibile ait fore: niſi multum temporis in erudiendo aſino cõcederetur: petere quantum vellet iuſſus: decennium impetrauit: deridebatur ab omnibus: quoniã rem impoſibilẽ ſuſcepiſſet. ille amicos conſolatus nihil timeo inquit: nã interim aut ego morior: aut aſinus: aut dominus. Etiã ſacerdos quidam populo nuncians Epiphaniæ celebritatem: cras ait ſumma deuotione veneremini Epiphaniam. eſt enim maximum: & præcipuũ feſtũ. neſcio autẽ nũ vir fuerit: an fœmina: ſed quiſquis extiterit: a nobis eſt ſummo timore hic dies cuſtodiendus: Quidã vrceũ olei ea ſpe ac pollicitatione vt pro ſe iudex ſententiã ferret dedit. hoc ſentiens aduerſarius porcum pinguem miſit iudici: rogans vt ſibi faueret: tulit ille ſententiã pro porco: quod ſentiens alter: cũ & fidẽ datã: & oleũ miſſum apud iudicẽ quereretur: porcus inquit quidam domũ venit: & inuento oleo vas effregit: atque oleum diſſipauit: adeo vt tui fuerim oblitus.

Cũ eſſet quidã ciuis noſter admodum gracili corpore: ac macilentiſſimus: admirantibus quibuſdã huius rei cauſam: quidam quid miramini inquit: ſemihoram quippe hic in cibo capiendo ſedet: in ſeceſſu vero ad emittendum duas. Cũ quidã Epiſcopus ſenior quereretur quoſdam dentes ſibi excidiſſe: quoſdam ita labare: vt eorum caſum timeret: tum ſcurra quidam: ne timeas dentium caſum: petenti cauſam Epiſcopo: quia teſticuli mei reſpondit iam. xl. annis pependerunt caſuris ſimiles: & tamen nunquã ceciderunt. Diotarius: vt Boetius narrat: cũ audiſſet librum Virgilii. xiii. annos: dubitabat: nũ Aeneas mas eſſet an fœmina: quod cum quæreret a præceptore: cunctos diſcipulos mouit ad riſum. Eſt alia ſcurrilitas præceptoris mei egregia: cum nocte quadam noctua cantaret ſuper muro interpoſito inter ædes Dominici: & Cicci ruſticorum diuitum: accidit quæſtio inter eos: vtrius gratia cantaſſet noctua: vnuſquiſq; enim ſuſpicabatur cantum illum aliquid mali futuri præmonſtrare & cum hinc inde rationes factæ eſſent: tandem ſapientem quendam leguleium conſuluerunt: vnuſquiſq; ferens bonum pullorum numerum: quos cũ vidiſſet leguleius: audita differentia: ac ſupra nares ocularibus appoſitis: euoluebat veſtigans multa librorũ volumina ſimulans inuenire caſũ de quo erat lis: tamen inuento libro quodã: vbi de caſu nihil ſcriptũ erat: voce elata dixit: noctua cantabat: Domini inquit hic eſt caſus: vbi ſuſurrãdo ac murmurãdo: & nihil dicendo: date inquit mihi pullos: quia lex dicit: noctua pro nullo veſtrum: ſed pro me cantaſſe. ſic receptis pullis abierunt bene cõcordes ruſtici. Ludibrium a pontifice Leone. x. viro facetiſſimo compoſitum: Abbas varauallus nobilis Caietanus: cum putaret ſe vulgarem poetam ſupra omnes eminentiſſimum eſſe: a pontifice laureari mirum in modum deſiderabat: Pontifex decus ſui temporis conceſſit: modo vniuerſam per vrbem ſupra elephantem deferretur. anũit abbas: Pontifex ſimulans ante delationem velle virtutem eius reficere: exhibuit electuarii roſacei vncias fere

duas: cum itaq; elephantem aſcendiſſet: & per vrbem procul a pontificio palatio deferretur: concitatur ad profluuium ingentiſſimum: Atq; rogans aſtantes: vt deorſum ipſum deferrent: nihil reſpondebant: ſimulantes non audire eum: cũ tandem non audiretur: totum ſe & calligas: & elephantem profluuio & ſtercore atq; fœtore ſordidauit. itaq; poeta cacatus per vrbem a cunctis dicebatur. Sunt & aliæ ſcurrilitates: ac ludibria Pogii: ac Boccatii pulcherrima: quæ prætermitto: quoniam Aulicus bene moratus hæc fugere debet: veluti peſtifera ac improba.

Iuniorum Scurrilitates.

Cap: LXXXV.

SVmmus noſtra ætate ridiculis ſtudẽs fuit Marcus Beneuentanus: qui non minus ridiculis operam dabat: quam rebus Theologicis. locus autem qui peculiaris erat ipſi ac præcipuus: accipitur a deprauatione nominum: Itaq; cum interrogatus eſſet a quodam perſpectiuo: quid videretur ipſi de vitellione: vitellio inquit bonus: ac probatus liber eſt: vt toto anno legatur: intelligens per vitellionem vitellum: volebat dicere probum vitellum eſſe inter cibos vniuerſo anno. Cũ vero interrogaretur de Boetio: bonus eſt inquit: vt legatur a ruſticis: non autem a nobilibus: & intellexit per Boetium carnem bouinam. At cum interrogaretur a quodam alio gramatico: quid nam de Suetonio: vtilis inquit liber eſt: vt legatur hyeme: intelligens carnem porcinam: quæ apta eſui eſt hyeme. cum inſuper rogaretur de Occam: hyeme inquit legendus eſt cum ſale: intelligens per occam anſerem. vulgares enim anſerem occam dicunt: quam comedendam eſſe probat hyeme ſallitam. Ad huc cum interrogatus eſſet: quid de Homero: bonum authorem eſſe reſpondit:

per Homerum: merum intelligens. Et cum de Ouidio: aliquid inquit boni eſt in Ouidio: intelligens oua: quæ aliqua ex parte bona ſunt. Et cum de Oratio: ſacerdotibus inquit author probatus eſt: ſignificās ſacerdotes debere eſſe in orationibus. Cum quidam inutilem eſſe columellam contendiſſet: ex bonis authoribus inquit columella eſt: qui ſunt in mundo. volens intelligere colũbos: ac pipiones. vtebatur etiã loco ab equiuoco cum eſſet in colloquiis obiter dixit vultis ne (vt vobis oſtẽdã mulã de ferro) & ſellam de ferro: & eum qui ipſam equitat: eſſe ferrum? omnes admirantes rogarunt: vt oſtenderet: ecce inquit hæc eſt: erat enim mula cuiuſdam medici: qui ferrus vocabatur. Cum interrogatus eſſet: ſit ne denouo aliquid: reſpondit pullus: intelligẽs per nouum vnum ouum. Cum medici quidam ægroto præciperent: vt aperientia comeſſet: aſtantibus iuſſit deferri claues: ac clauos: aſſerens hæc eſſe: quæ aperiunt oſtia ac ſcrinia. Et cũ alius medicus ægroto præciperet vt cibaretur ex leuibus: iuſſit deferri pẽnas: multa alia ſcurrilia addi poſſent: ſed hæc ſufficiãt pro exẽplis.

De ludibriis ac ludificationibus. Antiquorum.

Cap: LXXXVI.

SVnt inſuper aulicaria ludubria: ac ludificationes: quæ differunt a ſcurrilitatibus: quod ludibria ac ludificationes partim verbis: partim operibus conſtant: at ſcurrilitates potiſſimum verbis inituntur. De ludificationibus Boccatius ſatis egregie ſcripſit: & alii plurimi ex iunioribus: nos vero non nulla ex antiquis: non nulla vero ex neotericis pro exemplis inducemus. Itaq; Hieron mẽſas aureas atq; æreas diis dicatas e phanis ſubſtulit: has enim inſcriptio ex more grecorum teſtabatur eſſe bonorũ deorum: ne quis manus admoueret: admirantibus vero audatiã: cauillatus eſt ſe deorum bonitate vti: nã boni dii dicuntur quod omnibus

beneſaciant. idem victorias aureas: pateras: & coronas: quæ ſimulacra porrectis manibus ſuſtinebant: velut oſferentia tollebat: dicens admirantibus ſe oblata accipere: non eripere: addens perabſurdū eſſe: a quibus quotidie bona flagitamus: ab his vltro porrigentibus nolle accipere. Alcibiades (vt apud Plutarchū in ipſius vita legitur) canem quendam inuſitata magnitudine aſſibus ſeptuaginta emptū abſciſa cauda per vrbem dimiſit ad id ſpectaculum & oculos & murmura omniū ciuium cōuertens. hoc cum multis ſtultū atq; ineptū videretur: obiurgantibus eum amicis ſermoneſq; de ipſo circulatos enarrantibus: ridens Alcibiades res inquit ex voto ſucceſſit: hanc enim conſulto præbere volui loquendi materiam athēienſibus: quo magis eos a peioribus colloquiis: quæ de me & dicere & audire ſoliti ſunt hac rei nouitate auerterem. Timotheus dicebatur lux fortunatus: huic inuidentes non nulli pinxerant ciuitates vltro ſe reti implicare ipſo dormiente: hac contumelia nihil offenſus Timotheus reſpondit: ſi tantas vrbes capio dormiens: quid facerē vigilans. Scipio Naſica cū ad poetā Ennium veniſſet: eiq; ab oſtio quærēti enniū: Ancilla dixiſſet. eum domi non eſſe: Naſica ſenſit illam hoc domini iuſſu dicere: ceterum eum intus eſſe. atq; id diſſimulans abiit: paucis poſt diebus tamē cum ad naſicam veniſſet Ennius: eumq; a ianua quæreret: ex clamat ipſe Naſica ſe domi non eſſe: Tum Ennius quid? ego inquit non agnoſco vocem tuā? Hic Naſica: næ tu homo es impudens: ego cum te quærerem: ancillæ tuæ credidi: tu mihi non credis ipſi.

Iuniorum ludibria.

Cap:LXXXVII.

IVniorum ludibria plurima ſunt: ſed pauca referamus: cum Nicoletus Theatinus præceptor noſter ſua ætate peripateticus eximius:

ludibriis: ludificationibuſq; ipſis oblectaretur: plurima feciſſe multi norunt: & inter prima: cum Veronam peteremus: vt baptizaremus puerum cuiuſdam communis diſcipuli: & poſt crepuſculum ad vrbem applicaremus: eſſetq; Caupo prohibitus recipere iudæos: qui extra vrbem hoſpes erat: nobis in hoſpitium conferentibus: dixit: te recipere non poſſum: quia prohibitus ſum: demonſtrãs Nicolectum: te autem poſſum: annuens me: interrogantibus quare: reſpondit: quia iudæos hoſpitari prohibitus ſum. At præceptor ſubiecit: audi amice a ſecretis: & mox penem præputiumq; oſtendit: quem cum vidiſſet: hoſpitatus eſt nos. mane vero cum ciues officii gratia nobis obuiã veniſſent: caupo ſupplex veniã petebat: Nec deſinit præceptor totum caſum ciuibus omnibus & viris: & mulieribus prædicare. Cum ob mortem doctoris cuiuſdam locus iuris canonici vacuus eſſet: Auguſtinus Barbadicus agens patauii prætorem: impulſu ſtudentium: qui rogabant: vt conduceret doctorem quendam ſiculum: reſpondit ego habeo doctorem egregium: qui vobis optime ſatisfaciet: interrogantibus quis nam ille eſſet: Nicoletus inquit: At illi domine animaduertas: nam Nicoletus philoſophus eſt: nõ autẽ iure canonico peritus: iratus prætor vt in malam crucem abirent iuſſit. Nicoletus itaq; accerſitus eſt a prætore eiq; dicenti vt legeret ius canonicum: quoniam pro mercede erat dacturus trecentos aureos: reſpondit: accipio condictionẽ: tibiq; gratias ago innumeras: poteris quidẽ inquit prætor mane canonicũ: veſperi philoſophiã legere. poſt vero aliquot dies re adhuc pendente: ſtudentes rogabant Nicoletum vt diceret prætori non eſſe canonicã ſuam profeſſionem. quibus reſpondit: hoc nunquam dicturus ſum: potiſſimũ ei: qui me in omnibus ſummum putat. verum poſt multa munuſculis non mediocribus acceptis ab illis ſtudentibus operam præſtitit (ſeruato tamen prætoris honore:) vt doctor: quem cupiebant: conduceretur: prætori perſuadendo ſe ſenem: laboribus tot ob imbeccillitatem eſſe ineptum:

Cum Marcus Beneuentanus: ex flumine rediret:quod ad mœnia Beneuenti preterfluit vbi mulus iam potauerat: ſcurra quidam interrogauit num mulus biberit: reſpondit Marcus bibiſſe. At ſcurra non credo inquit: quoniam non adiunxit non tamen intelligens per id os ad fluuialem aquam præ altitudine admouere nequiſſe mulum: ſed non adiunxit id eſt non addidit aquam flumini: immo hauſtam minuit. At Marcus præſentiẽs cauillum æquiuocationis: adiunxit inquit: depoſito igitur ab vtroqꝫ pignore: Marcus oſtendit mulum adiunxiſſe: quoniam minxerat in fluuio: vbi lotium addidit: ludibriũ erat in verbo adiunxit: quod apud vulgares ſignificat addere: & vſqꝫ ad locum peruenire: vel applicare: ſcurra itaqꝫ intendebat: non adiunxit ſed diminuit: quaſi per non adiungere intelligeret: id quod eſt non applicare: Marcus vero adiunxiſſe dixit: hoc eſt addidiſſe quoniam addidit lotium fluuio. et ſex centa talia: De ſalibus autem & dicteriis mordacibus prætermittendum eſſe puto: quoniã cum ſermones ſint aculeati: ac mordaces: magis attinent ad maledicos: quam ad aulicares viros: quia præterea prouocant ad odium: vel vltionem: quæ a bono aulico omnino fugienda eſſe iudicamus. Cum Hieronymus Mancionus Neapolitanus: aduerſus Cæſarẽ Borgiũ vſus eſſet talibus aculeatis ſermonibus: & a cæſare linguæ mutilatione in illum animaduerſum eſt. Ex iis igitur apertum eſt: aulici duas eſſe partes: affabilitatẽ: atqꝫ vrbanitatem: hominis autem aulicaris. iiii. vt puta vrbanitatem: ſcurrilitatem: affabilitatem: atqꝫ adulationem. in his enim. iiii. ſemper verſatur aulicaris ipſe homo: in illis vero duobus tantum aulicus qui bene moratus eſt ac ſine virtute eſſe non poteſt. Et hæc de viro Aulico hactenus.

Finis prioris libri.

Eiuſdem Auguſtini Niphi Medicis De Muliere Aulica ad Phauſinam liber ſecūdus.

Prima Opinio de muliere Aulica.

Cap: I.

SVper eſt modo PHAVSINA lepidiſſima: de Muliere aulica agere: quod ad te ſpectare videtur. nam ea quæ priore libro diximus: ad viros aulicos attinēt. verum ſunt qui eaſdem partes rei aulicæ mulieribus: & viris attribuunt: primo quia cū partes illæ ſint virtutes: denegandæ non ſunt mulieribus: quæ ſunt ſicuti viri etiam rationis participes. Alioquin eſſent iidem habitus in mulieribus vitia: in viris autem virtutes: quod abſurdum eſſe omnibus cenſendum eſt. Diuinus quoq; Plato quinto libro de re publica: ac .vii. de legibus: Socrates & alii quam plurimi: qui mulierum partes validiſſimis rationibus tutati ſunt: omnium virtutum mulieres capaces eſſe aiunt: eadēq; ab illis officia: quæ a viris in ciuitate bene inſtituta: videlicet diſciplinam militarem: atq; gymnicam: mercaturam: cæteraſq; artes exerceri debere aſſerunt: Qua ratione fit: vt aulicæ mulieres virtutis nequaquam ipſæ expertes ſint: cum virtutes omnes communes habeant cum viris. ſed de virtutibus mulierum & quales ſint: & quæ: & vtrum viri virtutes omnes communes habeant cum mulieribus: diſputat Pompeius Colūna principū

ſplendor in eo libro: quem apologiam mulierum inſcripſit: nec puto aliquid dici poſſe pro mulieribus: quod non ſit ab eo ſatis dilucide explicatū: Nos quoq; eo libro: quem de optimo principe exarauimus: de virtutibus mulierum: & quas communes habeant cū viris: & quas ſibi proprias; diligenter expreſſimus. quare ſolum de aulicis nobis ſermo erit: ne noſtra oratio ad immenſum proficiſcatur.

Refutatio Poſitionis.

Cap:II.

QVod autem aulicæ ipſæ virtutes mulieribus non conueniant: teſtantur primo hiſtoriæ in quibus cum multa de aulicis viris: de ſcurris: de aſſentatoribus: de affabilibus: ac vrbanis: legantur: de mulieribus tamen nihil memini legere. Nec id eſt incongruum: nam pueris aulicas virtutes conuenire: nemo ſanæ mentis concederet: potiſſimum cum ſuperiore libro demonſtratum ſit puerum non eſſe aulicis rebus idoneum. Quod autem mulier a puero non diſtet: Xenocrates eo libro: quem de puellis: ac mulieribus edidit: demonſtrat cum inquit: Mulier a puero in alio non diſſidet: niſi quod qui puer eſt: non ſemper puer ſit. Mulier vero toto vitæ tempore puer eſt. Galenus præterea: mulier inquit puer eſt confirmatus: qui vero puer eſt: ſanabilis eſt. Hermagoras vero pueris inquit oportet nos ad tempus blandos eſſe: mulieribus ſemper quia ſemper pueri ſunt. Ariſtoteles vero mulierum cōſilia inualida eſſe ſemper teſtatur: quod iure cōſulti probarūt: qui mulierū promiſſiones irritas eſſe volunt: quæ non fiunt authoritate viri alicuius. puerorum autē conſilia imperfecta: quoniā procedente ætate & cōſulta & promiſſa eorū valida eſſe ac perfecta cōſueuere Quæ ratio docet mulieres ſemper eſſe pueros: pueros vero ipſos nō ſēper. Quare cū puer nō ſit idoneus rebus aulicis: fit vt pari ratione mulier: aulica eſſe non poſſit.

Quod neq; ſcurrilia : neq; vrbana mulieribus conueniant :

Cap:III.

AD ſpecies vero deſcendendo:neq; ſcurrilia : neq; vrbana mulieribus eſſe idonea demonſtramus ꝙ duæ ſint virtutes : quæ mulieribus idoneæ ſunt: quibuſq; amabiles redduntur: Quarum prior pudicitia eſt : quam comitantur moderatio : modeſtia: continentia : abſtinentia : ſobrietas . Altera eſt ſimplicitas : quam ſectantur taciturnitas : veritas : ſyncæritas . pudicitiam corrumpit libido : ſimplicitatem vero mẽdatium : vel ſimulatio & diſſimulatio . ſed cum omnis ſcurrilitas ſit cum turpitudine (vt Cicero inquit) turpi . vrbanitas vero cum turpitudine non turpi : fit:vt nec hæc : nec illa mulieribus ſit idonea : nam hæc corrumpit ſimplicitatem : illa vero pudicitiam . inſuper nec vrbanitas nec ſcurrilitas aſt abſq; vi ingenii (vt Ariſtoteles inquit . iii . Rhetoricorum) quum dixit : natura ingenioſi eſt vrbane dicere. At mulieres nec ingenio : nec prudentia tanta emicant : vt poſſint vrbane : vel ſcurræ eſſe . Quod ſi quæ mulieres prudentia emineant : vt Xenocrita cumæa: Clodia romana : Eryſona : Cæphena : Chalphurnia : & aliæ plurimæ : hoc vltra captum : ſexumq; muliebrem eſt : quo mulieres non amabiles : ſed admirabiles habentur : verum quia ea : quæ in præceptis traduntur : vt in pluribus ita ſe habere oportet : nos id quod plærũq; naturas mulierum ſectatur : conſiderantes : aſſerimus nec ſcurras : nec vrbanas eſſe poſſe . Quare licet vrbanitas virtus ſit in viris : in mulieribus non virtus erit . eſt enim aliqua virtus : quæ ex tota ſui ratione virtus eſt : vt virginitas: caſtitas : ſanctitas : & cæteræ id genus : hæ in omnibus ſunt virtutes : quippe cũ ex vniuerſa ratione virtutes ſint . Aliæ virtutes ſunt:quæ delectu:ac circũſtãtiis ſunt tales : huiuſmodi non oportet in omnibus eſſe virtutes

talis eſt vrbanitas: nam in viro laudatur: in mulieri-bus vero improbatur: quemadmodum & in puero. Ad hæc & ſi ipſa mulier ſit rationis particeps: non ta-men tantæ vt poſſit virtutes omnes eadem prudentiæ vi comunes habere ſibi cũ viris. Quod ſi apud Reginã nunc romanorum mulieres ſcurræ ſint Helſa ac Epila: apud vero Proſperum Columnam Rita fuerit olim: nõ erit impoſibile: cũ mulieres etiam meretrices reperian-tur: quæ eſſe non deberent. Nos enim quid eſſe debe-at mulier: non quid ſit: expoſuimus. Eodem modo ſi vrbanæ: atq; facetæ reperiãtur: nõ erit omnino impoſ-ſibile: quoniam non nullæ inueniuntur fortes: pugna-ceſq;: quemadmodum Maria quædam puteolana for-tiſſima: atq; formoſiſſima virgo: honeſtiſſimis orta parentibus. huic ab ineunte ætate nõ ignaua: atq; mu-liebria illa arma colus: acus: & ſimilia curæ vnquam fuere: ſed militari diſciplinæ ſemper dedita: gladiũ: clypeum: galeam: cæteraq; inſtrumenta bellica aſſidue geſtabat: quibus laborando: multa tolerando: eſuriẽ-do: vigilando: ita corpus aſſuefecerat: vt ſæpe integrã noctem inſomnem ageret: & ſi quãdo naturæ aliquid concedendum fuerat: humi nuda: aut ſuper clypeũ: ceu rudis: aut horridus miles quieſcebat. tanta deniq; animi magnitudine fuit: vt ſæpe ſola: interdum pau-cis admodũ comitata: hoſtes aggredi non eſſet veri-ta: victoriamq; ex illis reportauerit. prima ſemper ſtru-ctam aciem inire: poſtrema prælio excedere conſueue-rat: Hannibalẽq; illum fortiſſimum pœnorum ducem imitata: ſtrenui militis: & optimi imperatoris officia ſi-mul in acie exequebatur. ſingulari certamine ſepties hoſtem vicit: glorioſaq; toties ex illo ſpolia retulit. cor-poris præterea robore adeo claruit: vt omnes illius tẽ-poris milites viribus anteiret: pudicitiam atq; virgini-tatem inter milites ſemper illæſam cuſtodiuit. Verum vt monſtra eueniunt in natura: ſic mulieres huiuſmo-di monſtruoſæ: atq; admirabiles vltra ſexum ſuum na-ſcuntur: quas & ſi admiremur: tamen nec amare: nec laudare debemus. nam in mulieribus amantur forma:

pudicitia: & puritas: cum quibus nec vrbanitas: nec ſcurrilitas ſaluo pudore ſtare poterit.

Quæ pars Aulica Mulieribus conueniat.

Cap:IIII.

QVoniam Cyprias mulieres non nullas: legimus fuiſſe aulicas: non nullas autem aſſentatriculas: quas cum in ſyriam transfretaſſent: gradulos appellabant: quod regum vxoribus currum aſcenſuris pronæ quodammodo gradus pręberent: Thymelen quoq; mulierem reperimus: quæ prima ſaltationem docuit: Iccirco aliqua pars earum virtutum: quæ viris aulicis dantur: mulieribus tribuenda eſt. Nam altera pars aulæ vxoris principis eſt: cui: & aulicæ: & atrienſes: & comites ſunt tribuendæ: nec iniuria quidem: quoniam vt mulier eſt medius vir: ſic eſſe poteſt medius aulicus: & cum illa eſſe non poſſit vrbanitas: fit vt aulica mulierum virtus ſit affabilitas: cuius extrema: vt diximus: ſunt adulatio & ruſticitas.

Quod Affabilitas conueniat mulieribus: et quotuplex ſit affabilitas.

Cap:V.

QVod vero affabilitas Aulicis mulieribus ſit conueniens: perſpicuum eſt: quoniam nec corrumpit puritatem: neq; virtutes: quæ puritatem comitantur. inſuper nec pudicitiam: neq; virtutes: quæ pudorem ſequuntur: immo has exauget: atq; amplificat. vrbanitas autem cum non ſit abſq; turpitudine ridicula: licet illa ſit turpitudo non turpiter: vt Ciceronis verbis vtar: tamen quia turpitudo eſt: labefactare videtur ſummum bonum mulierum: quod in ſimplicitate atq; pudicitia conſiſtit. Eſt autem affabilitas duplex: altera quæ ſecum amorem habet: & non ſalē: hoc eſt argutiā: altera quæ amorem habet: ſale argutiaue conditum. Affabilitas quæ amorē habet: & nō ſalem: eſt illa PHAVSINAE: quæ cū interrogarem eam cur nuper mihi longe magis blandiretur: quam nunc: cum noſceret me ipſam nunc longe magis deperire: Diebus ſuperioribus inquit: laborabam vt te alliciendo illaquearem: ac poſſiderem: nunc tibi iam acquiſito: ac poſſeſſo: non opus eſt blandiri: ſed te amare: affabilitas profecto iocunda ſecum amorem habens: nō autem ſalem atq; argutiam. Accedit & alia: nam cum quærerem an poſſit ſenem amare? amore inquit malo: non poſſem: at bono poſſem & puerum: & ſenem deperire. iucunda etiam eſt hæc. Que vero amorem habet cum ſale eſt illa QVINTIAE: quam cum ſemper meam Quintiam in omnibus dicere antea ſolerem: dixi quodam die: nolo te amplius Quintia vocare meam: ſed charam: nam procedente tempore nec tu mea: ſed viri eris: nec ego tuus: ſed Angelellæ vxoris. eris tamen ſemper chara: & dum vixero: & poſt fata: vtinam inquit: eſſem tibi ita ſemper chara: ſicut nunc: & ſemper tua ſum: eſſem enim

omnium amantium feliciſſima: iucunda profecto: ac ſalſa affabilitas eſt. Et illa PHAVSINAE ſalem ſapit: cum enim dixiſſem: poſtquam PHAuſina te deperire cœpi: pulcherrima ac lucidiſſima aurora facta es: et lætor profecto. non poteram inquit te exiſtente ſole aurora non euadere: ac pulcherrima: Iocunda profecto affabilitas · & arguta. & vtraq; harum aulicis mulieribus decentiſſima videtur: nam amplificant tum pudicitiam: tum puritatem. De locis vero affabilitatum: quibus mulieres fiant affabiles viris: atq; principibus: dictum eſt priore libro: quæ cum ſint mulieribus cum viris communia: nunc prætermittamus.

Quod placiditas non ſit Aulicis mulieribus improba.

Cap: VI.

EſT inſuper placiditas: & eſt adulatio: placiditas eſt: qua in cunctis placidi ſumus: in nulliſq; aduerſantes: immo qua cuncta laudamus: cuncta vera eſſe profitemur: adulatio vero eodem modo: qua eadem agimus: verum differunt: nam placidi non ſpe lucri ſunt: ſed inſtitutione naturæ: quod natura tales ſint: vt nolint alicui moleſti eſſe: nulli diſcoli: atq; peruicaces: ſed quum compelluntur: explicare: quæ ſentiunt: cognoſcuntq; vera dicendo: nulli ſe eſſe moleſtos: laudant: quæ laude digna ſunt: vituperant autem: quæ videntur vituperanda: aſſentiunt: atq; diſſentiunt: vt recta ratio poſcit. contra ſunt: qui natura naſcuntur diſcoli: atq; peruicaces: nam hi ea natura inſtituti: non curant aduerſari: moleſtoſq; eſſe: modo peruincant. Adulatores vero atq; aſſentatores: in cunctis adulantur: atq; aſſentantur: laudant enim que ſunt vituperanda: nec in aliquibus diſſentiunt: verum hæc agunt non amore: neq; natura compulſi: ſed ſpe lucri.

Qua

Qua ratione ſit: vt placiditas non ſit improba: nec vituperanda: licet etiam non ſit laude digna: quoniam ea quæ ſunt a natura nec laudanda neq; vituperanda ſunt: hac placiditate placidus erat Grauina noſter vir diſertiſſimus: qui cum bonitate naturæ nulli vellet eſſe moleſtus: in cunctis placidus erat: dum tamen vera dicere compellebatur: atq; cognoſcebat dicendo: quæ ſentiret: non eſſe cuipiam moleſtus: affabiliſſimus erat: nam in quibus oportebat: vbi oportebat: et quãdo oportebat aſſentiebatur. In mulieribus itaq; omnino deteſtanda eſt adulatio atq; aſſentatio ipſa: cum corrumpat pudicitiam atq; puritatem, vt pote quæ mendaciis ſit referta: placiditas autem non vituperabilis: cum ſequatur ſimplicitatem naturæ: immo fortaſſe laudabilis. Mulier enim cum nulli fuerit moleſta: laudatur. nam emicat in placiditate puritas: quæ naturæ opus eſt. potiſſimum ſi placiditas non ſimulata: non ficta: non perſonata fuerit: ſed puritatem naturæ ſequens. Mulier enim in qua nihil ficti: nihil ſimulati eſt: modo ſeruet quæ ſua ſunt: pudicitiam videlicet atq; ſimplicitatem: omni laude digna videtur. loca vero quibus placida auadere poterit: priore libro ſunt explicata.

De Amatoriis colloquiis in Aulicis Mulieribus.

Cap: VII.

SEd quoniam amatoria colloquia ſunt: in quibus tum affabiles atq; placidæ poſſunt eſſe mulieres: tum etiam peruicaces atq; difficiles Dubitatio eſt: vtrum mulieribus aulicis conueniant. res hæc ſatis diſputata eſt priore libro: tamen bis dictum: ſi bene dicatur: (vt plato inquit) non diſplicebit. apud Gallos nõ modo permittũtur: ſed vſui atq; ambitioni exiſtunt.

ne colloquia modo: ſed etiã oſcula: tam cum ſenibus quam cum iuuenibus.cauſa autem: quoniam cũ puellæ mulieresq; ipſæ & viri apud eos a cunabulis talibus colloquiis aſſueuerint:nõ magis huiuſmodi colloquia apud eam gẽtem valent:quã apud nos aſpectus:Quare ſicuti nobis permiſſum eſt inſpicere:mulieribus autem inſpici:ſic eis colloqui: ac inſpicere: & oſculari. Verum quia his aduerſantur ſanctiſſimi viri vt Hieronymus Aurelius:Bernardus:& alii non paruæ authoritatis philoſophi : aſſererẽ Aulicas mulieres cum ſenibus : qui iã ad Saturni annos peruenerint:colloqui:atq; verſari aulice poſſe . nam licet fortaſſe ſenes cum aulicis puellis ſine appetitu veneris aulica colloquia miſcere nequirẽt quando puellæ ſunt valde amabiles ſenibus:atq; conuenientiores : quam prouectiores (reiuueneſcunt enim atq; repuereſcunt in illis:) tamen puellis ſenes non ſunt cupidinei.ſicuti nec iuuenibus mulieres decrepitæ:quare cum decrepitis colloquia aulicarum mulierum non ſunt abnegãda: cum puellæ ea agere poſſint ſine appetitu veneris . accedit quod ſunt non nulli ſenes : qui ab inſtitutis naturæ puellas amãt:obſeruantq; deſiderio videndi:colloquendi:atq; conuerſandi ſine prurigine veneris: vt Socrates Alcibiadem pulchrum adoleſcentem amabat:ſine veneris maſculæ appetitione:ſic quoq; Plato vbiq; pueros diligebat:nam puerorum puritas: ſimplicitas: atq; cætera bona : quæ in pueris erant : mirum in modum eũ oblectabant : immo in me teſtor a iuuẽta vſq; ad preſens tempus : ſemper mihi fuiſſe puellas gratas: in iuuenta enim amabam aliquando aliquas ſine illicito appetitu: in quibus cognoſcebam pudorem atq; puritatẽ : expertibus omnino cupidinei amoris.interdum non nullas deperibam : quas cupidineus amor facile tangeret:illas igitur amore blandæ conſuetudinis has cupidinis proſequebar : nec aliam ob cauſam : niſi quia mores mihi earum iucundiſſimi erant . hac vero ætate puellas in quibus pudorem Sabinarũ modeſtiãq; agnoſco : quippe quæ ſint ab inhoneſtis illecebris abhorentes : ſine turpi voluptate ſumopere amo . ſecus

autem quæ amore cupidineo accenduntur: has enim hac ætate non modo non amo: ſed odio proſequor immortali capitaliq; vnde nunc PHAVSINAE incredibilis me tenet amor: cuius puritas ac pudicitia tanta eſt: vt non modo amem colamq; ſed veluti nouũ numen venerer. Quare cum ſenibus huiuſce naturæ & colloq & tuto verſari poſſũt aulicæ puelle: ſed vtrũ eodem modo cum iuuenibus: hoc delucidum eſt ex priore libro: nã ſi colloquia ab eo amore pendeãt: quo puella aulicum adamet: vt illi nubat: modo talia nec metam verecundiæ exceſſerint; neq; fuerint præter pudoris leges: neq; preter circunſtantiarum obſeruantiam: colloquia huiuſmodi non improbo: ſed quis ſperauerit tam circumſpectam obſeruantiam in illo ſexu? At ſi amore cupidineo: ſecus ſe habente: aulicæ puellæ vtantur: nec laudo colloquia: neq; conuerſationes probo. quin immo a principum aulis hæc omnia remouenda arbitror: tanquam lenonica: atq; meretricia commercia.

Exempla affabilitatum aulicarum mulierum: & primo earum quæ ſunt Quintiæ.

Cap: VIII.

ET ſi loca affabilitatum priore libro ſatis dilucide expoſuimus: quæ viris ac mulieribus aulicis cõmunia ſunt: exempla tamen earum non nulla hic adiungam: quæ mulieribus propriæ ſunt: quæq; potiſſimum in amatoriis ipſis colloquiis fieri ſolent: ſumuntur autem omnes a ſimulato amore: aut ab iis: quæ erga amantẽ amorẽ indicãt. inter quas illa QVINTIAE prima eſt: Cum mei in PHAVSINAM amoris ad QVINTIAE aures fama deuolaſſet: quæ nũc apud Iuliã Illuſtriſſimã Biſiniani Principẽ ſe continet: cũq; multi multæq; ex aulicis repulſam

(vt in magnis aulis fieri ſolet) ſuiq; contemptũ obiicerent : auditis variis eorum ſententiis : his tandem verbis longum ſilentium rupit : nouo PHAuſinæ amori non equidem inuideo : illo enim amore : quo me ſemper meus Niphus amauit : innumeras quoq; puellas ſine vlla prorſus mea zelotypia proſequi poteſt : innuẽs me honeſto ſemper ardore ipſam deperiſſe : quo ſine zelotypia plurimæ amari poſſunt.

Affabilitates non nullarum etiam puellarum.

Cap: IX.

DVm amans quidam cum ſua amata puella colloqueretur : ei ita inquit : natura te ſic inſtituit : vt mihi impoſſibile videatur : te alium quempiã amare poſſe : præter te ipſam tantum : inter tot inquit infortunia : quæ mihi data ſunt : id vnum per gratum eſt : quod mihi ipſi quoq; odio non ſim. Dum amans quidam gratiam quandam ab amata appeteret admodum inhoneſtam : Puella ſuam imperitiam prudenter ſimulando verbis quibuſdam ſalſis modeſtiſq; in alia ſe tranſtulit colloquia. quod cum amantem non lateret : o quanta inquit ſapientia emicas : tum illa : ſed nihil aut per pauculum ſapientia hæc mihi prodeſt : cum te non lateat. Dum amans quidam coram amata puella ob illata ſibi cõuitia ab ea miſerabiliter defleret : lachrymas illas effictas contendẽs puella : ſubridendo inquit : o quam peculiares propriæq; nobis mulieribus eſſent lachrimæ : ſi eas natura in nobis ita ad decipiendũ aptas inſtituiſſet : quemamodum in vobis viris ſunt vel aptiſſimæ. Præterea cum quondã amata verbis quibuſdam admodum diris obiurgaſſet amantẽ : cumq; ille ei nihil obiicere potuiſſet : vberrimis lachrymis oculos ſuffundens inquit : doleo non mediocriter cum ea dicere nequeam : quæ merito obicienda eſſent : cui amata reſpondit : dolor tuus longe maior euadet : cum noueris

tuum iſtud reſponſum nihil tibi porro profuturum. Ad hæc dum amans quidam ab amata procul receſſurus eſſet: poſt alia verba affabilia: quæ ei fecerat: hoc vnũ inquit: ab ipſo deo impetrare vellẽ: vt dum abs te abſens fuero: quoties tibi in memoriã venero: mihi pateſieret: cui reſpõdit illa: hoc non erit tibi perdifficile: nã ex memoria tua: quoties ego tibi occurrero & te mihi toties occurriſſe facillime intelliges. Inſuper cũ amata puella in locũ quendã proficiſceretur amãti ſuo admodũ ſuſpectum: atq; ob id moleſtiſſimũ: puella ei inquit: dolor iſte tuus mihi longe magis idoneus eſſet: quam tibi: nã tu hinc certior ea de re fies: quæ te nunc tantopere ſolicitum ancipitemq; tenet. ego autem ea de re: quam de te ſuſpicor: nullo loco: nullo ve tempore certior fieri poſſum. Cum eſſet Aulica quædam principis Illuſtriſſime Salernitanorum admodum ſcitula eam PHAuſina interrogauit: cur eſſet amantibus crudelis; doleo inquit illa maximopere: quod mihi quoq; crudelis ac immanis non ſim: nam qui me cupiunt: amorem ſimulant: Qui vero te depereunt: in primis te venerantur: & colunt.

Affabilitates PHAVſinæ.

Cap: X.

CVm enim ſubiratus ei eſſem: ſic locutus ſum PHAVSINA deſiderio imperare non poſſum: quo te depereo: vt a me abeat: pedibus tamen imperabo: ne ad te moueantur: oculis ne te inſpiciant: auribus ne verba tua audiant: manibus ne tuas tangant: nam hæc mea ſunt: ſpero equidem hæc coercendo: quibus præcipiti voluntati deſeruientibus: deſiderium tui mihi: & exortum: & auctum eſt: temporis curriculo arefacere ipſum: quibus illa: licet his operantibus: reſpondit: tuus in me amor tum ortum: tum incrementum habuerit: tuq; iſtas ipſas tui corporis partes ab incepto reuocaueris: ac id ad immenſum

tempus proceſſerit : non propterea tamen tabeſcet : aut molleſcet inteſtinus iſte ardor : ſeruatur enim amor tuus in meo : qui cum nunquam ſit defuturus : nec tuus quoq; deerit vnquam. Alia ad eadem : me te vnam amante o PHAVSINA atq; tantopere celebrante : fortunatam dicunt omines : Ego vero te & fortunatam & ingratam voco : nam tot tantorumq; meorum in te beneficiorum immemor es. fortuna reſpondit ab ipſo deo mihi data eſt : cui gratias ego maximas : & habeo maiores. ingratitudo vero a me vna naſcitur : quam cũ voluero amouere a me potero. Cũ ſuſpiriis ad cælum vſq; emiſſis coram Phauſina ſenii infelicitatem mei ob amorem quo ipſam deperibam incuſarem : reſpondit : tu te tibi in cauſa fuiſti qui tantum authoritatis mihi preſtitiſti : vt mortẽ pariter & vitã tibi poſſẽ elargiri : colloquẽtibus porro inibi nobis : & me a principio amoris multo minus pulcrã eã viſam mihi ꝙ nunc videatur dicente : ait hoc mihi gaudio euenit ꝙ laudibus honoribuſq; cumulatiſſime in me collatis percepi : eo enim non pulcrior forma ſed ſplendidior lætitia euaſi. PHAVSINA etiam nuper mihi diſcedenti ſueſſamq; petenti : ſi iſte tuus inquit vel breuiſſimi temporis diſceſſus tantopere mihi moleſtus eſt : quid ſi perpetuus fieret? Cum enim illa in expetendis a me quibuſcunq; rebus : imperioſis magis ꝙ blãdis vteretur precibus : cur non precans PHAVSINA interrogaui : ſed magis imperioſe exigis a me omnia? Tum illa vt agnoſcas me tibi non ſecus ac mihi imperare : ſi enim precibus tecum ad impetrandũ vterer : tibi tuoq; amori diffidere viderer : ac ſi a me alienus eſſes. Dũ etiã vno die aliquantulũ iratus : ipſam (ob neſcio quid : ꝙ moleſte tuleram :) obiurgaſſem : his illa verbis nõ abſq; lachrymulis iram ſedauit. Credis forſam mi Niphe tam longe meũ ingeniolum proſpicere poſſe : quantũ tua diuina mens penetrare ſolet? ne illo quæſo ducaris errore : vt meas actiones quæ a pura mente puerilíq; ſimplicitate profectæ ſunt : tua ſolertiſſima circũſpicientia metiri velis. ego enim ipſa quid egerim ignoro. Cum ſæpius

PHAVSINAM in me crudelem eſſe dicerē: caue mi Niphe inquit dulciſſime ne grauiter erres: dū illud crudelitatis nomine notas: quod eſt tuis votis omnibus: ob pudicitiam ſeruandam non libenter parere. Cum præterea in colloquiis amatoriis cum PHAVSINA eſſem: interrogaui: quonammodo puella quæ. xvi. etatis annum ageret deperire poſſet amantē ætate atq; forma diſſimilem: cum abſq; ſimilitudine reciprocus amor nequaquā eſſe queat? iucundiſſime reſpondit: licet (vt vides) his diſſimillimi ſimus: eo profecto ſumus ſimillimi: quo tu me: & ego te amo: per quæ animi pulchritudinem intelligebat: & in eiſdē colloquiis ſermo obiter occurrit: quis nā eſſet verus amās? vbi ſic inquit: quemadmodū idolatra eſt: qui ſimulacrū adorat: & non diuinitatem: ita nō verus amans: qui puellæ faciē amat: & eius pudicitiam non veneratur. Et in eiſdem PHAVSINAM rurſus rogaui; quo nā modo ſenē ac ſemimortuū deperire poſſet? nō ſenē inquit ardenter amo: ſed eum in quo nec ſenium nec tabes vnquam futura eſt: immo eum: qui cum morietur: denuo renaſcetur. Etiā cum iocarer cū PHAVSINA: vt eam ad rixulas ducerem dictitabam: credisne PHAuſina φ te aniculā factā ſim deperiturus: deperibis inquit profecto: nā id quo me amas: nō ſeneſcit vnquam. Petrarcha enim Lauram & puellam & matronam & viuam & poſt fata ardenter amauit: quia nunquam conſenuit. immo eandem propere ſeneſcere exoptabat: vt abſq; ſuſpicionis nota eius pulchritudine frui poſſet. Ad hæc cum interrogarē PHAVSINAM quod præmium tanti amoris eſſet datura: vt ne mendax ſis inquit tantarum laudum: quas de me quotidie decantas. Cum propter longum cum PHAVSINA colloquiū cum ne ei moleſtus fuiſſem ſubuererer: accintus ad iter PHAuſina receſſurus ſum dixi: parcas rogo: ſi tibi tædio fuerim: leniter morata eſt me: ſic inquiens: non poteſt mihi eſſe faſtidio: qui ſemper ſecū connatā habet & voluptatē: & gaudiū.

Cum eſſẽ adhuc ĩ colloq́s amatoriis cũ PHAVSINA multiſq; rationibus ipſi perſuaderem: me ob ſui amorem inſanum: ac pænitus inſipientem euaſiſſe: ſic me ſua affabilitate ab huiuſmodi errore liberauit: Eſſes inquit inſipiens atq; inſanus mi Niphe ſi me ardenter amans: ardentius redamari a me non agnoſceres. Præterea etiam cum eſſem cum PHAVSINA multiſq; aliis puellis aulicis in eiſdem colloquiis: Queſtio amatoria occurrit: quæ nam maior voluptas ſit earum: quas capere ſoleo ex conuerſatione cum PHAVſina: vna earum dicebat eã eſſæ quæ ex iocundiſſimo ipſius aſpectu oritur: alia ex alterno inter nos ſermone dulciſſimo: alia quæ verius ſe dicere aſſerebat: eam: quæ ex manuum mutua leniſſima contrectatione: PHAVSINA vero ipſa ſubridẽs: neminem latet (inquit) mi Niphæ tibi omnia hæc eſſe iocunda: ſed omnium horum iocundiſſimum eſſe arbitror: quod his omnibus & aliis ad huc plurimis mecum crebro: ac ſine vlla cupidinei amoris nota tuã ob ætatem libere frui poſſis. Cum etiam inter eius colloquia maximopere conquerer quod ob PHAVSINAE amorem: nulla mihi queſcendi daretur hora: quoniam noctu diuq;: ſummo dolore aſſidue verſarer: quodq; omnium maximum horum eſt: eſſem deriſui: mihiq; ipſi ſummo dedecori eſſe viderer: tum PHAVSINA ſic me blando ſermone corripuit: grauiter erras inquit: Iocundiſſime Niphe: cum id quod tibi ſummo honori: ac laudi ingenti: ſingularíq; voluptati tribuendum eſt: dolori: deriſui: ac dedecori tribuas: Quid enim laude magis dignum: quid ve glorioſius: ſublimius: ac iocundius tibi poſſe euenire putas: quam vt puella: quæ mihi apud mortales erat: ac nullo nomine celebris: nulliq; pænitus cognita: ſit per te & procreata: & educata: atq; vſq; ad ſidera euecta. Cum obiicerem PHAVSINAE: quod inter alias quæ de ipſa me agerent curas: ea eſſet maxima: qua vereor ne ob ſexus mollitiem aliquo temporis curriculo mendacem me redderet in his: quæ

de eius morum honeſtate : animi integritate : pudore : pudicitiaue: deq; vitæ eius puritate ſcripſerim : omnibuſq; palam fæcerim : Negare non poſſum : reſpondit me ob corporis formam : a plurimis expetitam : cum multis hactenus pugnaſſe : acerrimeq; contendiſſe: qui eam deperientes poſſidere enixi ſunt : verum conſideranda eit a te mi Niphe Arx : quæ mihi cordi eſt: menibus pudoris atq; honoris communita : quam ad huc nemo expugnauit : nec vllo tempore vllum expugnaturum eſſe intelliges : Quæ enim gloria maior mihi cõtingere poterit: quam vt a plurimis oppugnata : a nullis vnquam expugner : immo omnes vincam : Dum veſtimentum quoddam elegantiſſimum : ac capitis reticulum auro exornatum P H A V S I N A E meæ dono miſiſſem : ſcripſi : alii amantes ſui flãmas : modis variis extinguere ſtudent : contra ego donis iis : quæ tuæ pulchritudinis ornamenta ſunt : illam amplificare : ac maiorem reddere mihi cæteriſq; ſpectantibus enitor : vt ignis quo deuror intenſior efficiatur : Ad quæ reſpondit ſcio mi Niphe meam quæ te vrit formam: non iis vel aliis huiuſmodi ornamentis : ſed pudoris : pudicitiæq; ſplendore perpetuo decorari . Nuper inter colloquendum cũ P V H A V S I N A: id ab ea ſollicite quæſiui : quo nam modo fieri poteſt: PHAuſina : vt in tuo conſpectu : ſtigiis flamis deurar : ſimulatq; perpetua beatitudine adeo frui videar: vt pariter tartareos in me ignes ſentiam: ac dulciſſimam cælicolarum fœlicitatem experiar : at illa his verbis ancipitem mentem ſoluit : cauſa tantæ contrarietatis (vt opinior) hæc eſt : bearis enim manibus : oculis : atq; auribus : quæ amatoriæ fruitionis ſunt conceptacula : corde vero ac ſpiritu : quæ ſunt amoris ſedes: in extinguibili cruciaris incendio . At ego quæ in te nulla re alia : quam tui animi viuaci ſplendore : pulchritudineq; æterna afficior . & oculis : & auribus : & manibus : & corde: cæteriſq; omnibus corporis partibus incredibili fœlicitate: tum nunc potior : tum potita ſum ſemper : ac potiar : donec vixero . Cum die quodam

in conſpectu PHAuſinæ Salernitanorum Princeps me triſtem cerneret: nulla ratione inquit mi Niphe triſtis eſſe deberes: quippe qui PHAuſinam te ardenter redamare plane cognoſcis: reſpondit P H A V S I N A redamationē amantibus eſſe veluti viuentibus vitam: nam nec viuens vita: neq; amans redamatione ſatiatur vnquam. Et in eiſdem colloquiis: idem Princeps quid agis inquit mi Niphe: cum abſens fueris a PHAuſina: reſpondi: tunc minus abſum a PHAuſina: vt Scipionianis verbis vtar: cum ſum abſens a P H A V S I N A: PHAuſina vero inquit. ego cum in conſpectu tuo ſum Niphe: abſens ſum a me: quanto magis cum a te abſens fuerim. Cum eſſem in colloquio de more cū P H A V S I N A his verbis cœpi loqui: hucuſq; mea P H A V S I N A ita accurate de rebus naturæ (vt mihi videor) ſcripſi: vt inter latinos ſcriptores: qui mille ante annis: in illis ipſis rebus elaborarunt: non ſū nouiſſimus: quatuor etiam celeberrimas Heroicas mulieres meus ſtilus immortalitati commendauit: poſtremo tuam diuinitatem auſus ſum meis ſcriptis poſteritati notam facere: de qua licet non tam ſufficienter quam diligenter ſcripſerim: ſatisfactum eſt tamen viribus meis: ſi non tuarum laudum magnitudini: quia ex omnibus rebus: quæ ſub luna ſunt: tua diuina forma nihil maius excogitari poteſt: quod literarum monimentis dignum habeatur: Reliquum eſt: vt meas THEOlogicas lucubrationes deſuper cæleſtibus numinibus tot ante annis inchoatas: ad finem vſq; pariter cum ſenecta perducendas curem. Tua igitur impetrata venia licentiaq;: in ſolitudinē tantarum ſpeculationi rerum aptiſſimum locum me conferam: vbi & cum mea Angelella conuiuam: & cum extrema ætate imperfectum opus perficiam. Quibus verbis lachrymabunda illa ſic reſpondit: & ſi mi Niphe tua abſentia tanto mihi futura ſit dolori: vt mortem præſentem quottidie illius contemplatio mihi ſit allatura: cogatq; P H A V S I N A M

auroram: aſq; te ſuo ſole: in cæcis tenebris vitam agere: æquo tamen animo hæc omnia mala tolerabo. Eſt enim mihi cordi multo vel iucundius vel gratius: te nec tuo honori: nec debitis officiis deeſſe: quam omnis illa oblectatio gaudiumq; omne: quibus ex tua fruerer. illud tamen precibus vehemẽtiſſimis atq; pudicis a te & peto: & rogo: vt interea tua PHAVSINA memoria non excidat: quam ſaltem litteris (quandocunq; ſcribẽdi facultas oblata fuerit) riuiſas: ac in vita his muneribus ſerues: quæſo.

Affabilitates ab eodem excerptæ loco: quæ a quodam inſigni Equite: ac in rebus aulicis maxime verſato: mihi relatæ ſunt: cuius epiſtola ad me hæc eſt: quæ ſubſcribitur.

Cap: XI.

CVm impoſuiſſes mi Niphe vt verſatas puellarum quarundam cum ſuis amantibus affabilitates colligerem: vt tibi cui plurimum debeo morem gererem: quaſcunq; potui: eas tibi commemorare ſtudui: inter quas illæ potiſſimũ tuo deſiderio viſæ ſunt dignæ: quæ iucundiores: ſalſioreſq; videbãtur. ꝙ ſi lachrymæ ex eorũ amantiũ deſiderio natæ

quorũ affabilitates breuibus perſtrinxi: alto me dolore non obruiſſent: longe plures ſcripſiſſem: ſed cum vix propter eorũ mœrorem: qui duris fatis agitati lachrymas mihi pepererũt æternas: minimam earum partem in mentem reuocare valuerim: ne habeas quæſo deſpectui pauculas haſce: quas ſummo cum doloris reluctamine ad te mitto. interea tamen puerum illum alatum orabo: vt PHA uſinam tibi multo meliorem gratioréq; reddat quam pro tuis immortalibus beneficiis in ſe collocatis ſe nunc præbet. Affabilitatum itaq; prima hæc eſt: cum puella quedam ex morte ſui amantis nimis angeretur: conſolantibus amicis: ita locuta eſt: ſi is locus pro ſcelerum piaculis ſontibus animis exhiberetur: vbi magis peccauerant (vt multorum fert opinio) mihi exploratum eſt mei amantis animam meo in corpore nunc viuere: cum nullo maiore flagitio miſera illa polluta fuerit vnquam: quam quod me longe magis quam debuerat: amarit. itaq; hæc vna conſolatio tenebris meis lucem præbet. Præterea cum quidam amans cogeretur iter facere: ob quod valde procul a ſua amata puella recedendum eſſet: inter loquendum atq; diſſerendum: doloremq; neceſſarii diſceſſus exponendũ: illa inquit multo charius eſt mihi tuis virtutibus dominari q̃ amori: iter igitur auſpicato proſequere: nam tuæ amplitudo gloriæ iuſtas mihi lachrimas rependet. Ad hæc cũ eniteretur amans quidã & blãdis verbis: & amatoriis perſuaſionibus amantiſſimam ſui puellam ad amoris fructum allicere: illa ſic orſa eſt: cum animæ dominus eſſe poſſis: adduci potui nunquam vt crederem te velle corpori dumtaxat dominari. ſi enim in huiuſmodi errorem delaberer: me rationem appetitui in prædam permittente: maiore atq; honorabiliore dominio priuareris quam id ſit: quod in me nunc poſſideres Dum amans quidam abſens eſſet ab amata puella: quæ ardenter eum deperibat: cumq; plures dies poſt deſtinatum reditus tempus lapſi forent: hæc abſentiæ impatientia ſic ſcripſit: nec tuis meritis: neq; amori: quem erga te ſeruo incolumem confidere velis.

Nam mulierum naturæ longe magis quã virorũ periculoſa aſt abſentia. Rurſus dum amans quidam amantem ſui puellam altis cogitationibus excrutiari:& quaſi ſtupidam eſſe præſentiret:rogauit quæ nam eſſent cogitationes eiuſmodi: cogito inquit dolere iis cogitationibus:quæ circa aliud quã tui amorem me occuparunt Cum amata quædam puella : quæ Zelotypiam valde deteſtabatur : interrogata eſſet: num ſi amans ſui Zelotypiæ anſam ſibi præberet:Zelotypa fieret. Reſpondit ob Zelotypiã quidem non cruciaret:ſed ſi eam deperiret puellam:a qua ſicuti a me non adoraretur. Dũ quidam amatæ puellæ contemptu adeo doleret: vt multis lachrymis oculos ſuffunderet: hoc tanta commiſeratione illam affecit: vt ipſa quoque collacrymaret:quod cũ animaduerteret ipſa : hoc inquit quod inſpexiſti : nequaquã miteris. nam nos mulieres magis molli natura quam commiſeratione aliqua motæ : perfacile hæc doloris ſigna facimus. Cum etiam amata quædã puella in colloquiis cũ ſui amante verſaretur : inſpexiſſetq; eum præter inceptum ſermonem reſpõdere : quaſi delirando:admirata eſt non mediocriter : cui amans mox ad ſui excuſationem inquit : id imprudenter ac inconſulto eueniſſe . at amata contra obiecit . debuiſſes curioſitate magis quam incuria gloriari . at amans hoc profecto verum eſſe putarem : ſi incuriæ ex curioſitatibus valde excrutiantibus mihi non orirentur . Poſtremo cum amans quidam tres totos dies in colloquiis cum amata puella continuaſſet : poſteaquam domum rediit : a ſonno eſt occupatus : cumq; puella famulum miſiſſet:vt intelligeret quid nam ille poſt reditum ageret : famulus renuntiauit eum allocutum non eſſe propter ſonnum . At puella cum rurſus famulum mitteret: mandat vt e ſonno excitaret: eumq; ad ſe aduocaret: ob rei cuiuſdam vrgentiſſimæ cauſam. Amanti itaq; ad ſe reuerſo : ne ignores inquit velim : eum qui amat: longe magis cogitationibus quam ſonno enutriri.

Quæſitum PHAuſinæ de Amore meo: & de pictura: & ortu Cupidinis.

Cap:XII.

NEmini autem mirum ſit quod in hoc de re aulica libello Quæſitum hoc de Amore immiſcuerim: ad rem enim Aulicam attinet eius amoris etiam rationem reddere. Cum etenim apertis ſignis ſui amore me deperire P H A V S I N A agnoſceret: ſollicite cupideq; quæſiuit quis nam amor eſſet: qui me tam ardentibus flammis in ſe accenderit. Reſpondi E R O non autem cupidine vror: ſed vt intelligas quis fuerit cupido quibuſue e parentibus ortus: & quo nam modo educetur: referamus quæ Alexander Aphrodiſius de cupidine ſcribit. poſtea de E R O differendum: quibus apertis ſcire poterunt omnes quis amor eſt: quo PHAuſinam ardenter amo Eſt itaq; cupido: quo partes poſtremæ alias frigidæ: alias calidæ efficiũtur. Cenſendum autem id propterea fieri: quia quoties homines: qui amoribus detinẽtur: anguntur: deſperãtq; potiri ſe poſſe puella: quã ardent: calor inſitus in profundũ ſe contrahit cum natura: itaq; extrema omnino refrigerãtur: & ob eam rem pallẽt: triſtiq; vultu: ac demiſſo redduntur. quoties vero cõtra vel ſpem obtinent bonam: vel admodum excãdeſcunt: calor ille natiuus idẽ ad cutẽ cũ natura effunditur: itaq; calidiores: rubentioreſq; redduntur. & ob hanc rem poetæ cupidinem puerũ fingunt: alias triſtem anxiumq;: alias hilarem: ac ſubridentem: interdũ iacẽtẽ: non nunquam volitantẽ. quoniã vehemens quidẽ eſt: atq; furibundus: ſed nõ diuturnus ac ſtabilis. eſtq; pennatus: q amantiũ videlicet animi efferri mutariq; facile conſueuerint: atq; funale tenet: q calor amantiũ natiuus propter vehementem aſſiduamq; ſolicitudinẽ marceſcat atq; vratur. enſis parte dextra pendet: læua pharetra ſagittis referta pluribus: quoniam principio amor per radiũ vnũ occulorũ

oritur: vt primum enim aſpexit:amauit: poſt freque͂tes ad puellam amatam amans radios mittit: quaſi tela iaciat:& capere illam conetur. ſagittæ abditæ in pharetra ſunt quoniam qui amant atq; redama͂tur mutuos inuicé occulte radios mittunt oculorũ:nudus præterea fingitur: quoniá palá fit ama͂tis animus: nõ enim per aliũ amare quis poteſt:neq; ita occulte:vt intelligi a nemine poſſit. vnde ſtatuarũ quoq; artifices deos ac reges nudos ſæpe numero cauſa honoris & laudis effingunt:ſcilicet vt perſpicua eorum poteſtas & animo ſyncæro: nulloq; vitio profecti per corporis nuditaté indicentur. ſed vnde ortus & quis parens: Alexander authoritaté poetarum cupidini matrem affert:patrem vero nequaquã. matrem enim inquit Veneré vnam habuiſſe id eſt libidinem:quæ græce ἀφροδίτη dicitur aphrodita enim ſemen genitale eſt:quod cum in corporibus exuberat: cupidinem parit. Diotima vero (vt Themiſtius narrat) cupidini matrem & patrem tribuit:aſſerés in veneris natalibus diſcunbentibus diis: Porum conſilii filium potu nectaris ebrium: cũ Penia in Iouis horto ſe miſcuiſſe:& ex eo congreſſu cupidinem genitum eſſe:qui plures annos natus nullo pacto creuerat:qua re cum penia conflictaretur: ad eam deam ſe tranſtulit: quæ Themis in Parnaſo colebatur dans reſponſa: quã cum rogaret: vt recenſeret cauſam ob quam Cupido natus non creſceret: ita ipſa inquit: hic puer ſic oritur: vt nequeat accreſcere: niſi gemellus eius etiam naſcatur: pariterq; cum eo adoleſcat. cum poro igitur te rurſus commiſcere oportet. paries enim gemellum: qui Anterus erit: quo creſcente: Cupido vigorem accipiet magis: atq; magis. ſic itaq; penia cum poro denuo coeunte: Anterus natus eſt: qui cum creſcere cœpiſſet: continuo Cupido augeri cœpit. cum vero ille ab accremento deſiſteret: Cupido in tabem proficiſci viſus eſt:parentes itaq; Cupidinis porus & penia ſunt: porus enim deus eſt affluentiæ:penia vero inopiæ dea. per hæc enim intelligere volunt ex poro natũ eſſe: quia cupido naſci non poteſt: niſi ſemen genitale affluxerit:

& multum: ac ſæpius: ex penia vero: quia affluente ſemine: niſi puellarum inopia affuerit: cum quibus ſemen excerni poſſit: nequaquam amor exurget: qui enim ſemine genitali exuberat: fueritq; puellarum inops: hic eſt quem vrit Cupido: nec iniuria dixerunt cupidinem ortum eſſe in natalibus Veneris: quoniam Venus: quæ grecæ αφροδιτυ dicitur: ſemen genitale ſpumoſum ſonat: Quare niſi ſemen genitale naſcatur: Cupido oriri nequit: in horto vero Iouis: quoniã in caloris exuberantia: nam ξευσ græce calorem vel ignem ſignificat: niſi enim ſemen genitale fuerit: & homo valido ipſo calore vixerit: cupido nequaquam exorietur. ſenes enim quibus calor fere extinctus eſt: nequaquam amore ardent. pueri vero quibus calor imperfectus eſt: minime amant. gemellum vero ei poſtea ortum eſſe volunt: nam amor eius qui amat: cum a puella quam ardet non redamatur: tabeſcit. hanc redamationem græci anterum vocant: quod ſit redamatio: ſine qua cupido licet oriri queat: creſcere vero nequeat. Eſt inſup alius amor: q græce ερωσ per omicron ſcribitur: hũc amorem nos vocabulorũ latinorũ inopia appellamus nomine græco Erum: quia (vt Alexander inquit) amor honeſtus eſt perpetuus quidem inter bonos: eſtq; moderatus: ſobrius: ſemperq; ſtans: nunquã triſtis: ſed ſemper hilaris ac iucundus: nec alatus: quoniam ſtabilis: nunquam mutabilis: nudus quoq;: quoniam deus eſt: cuius poteſtas ac operatio perſpicuæ eſſe debent: dextra gladium: ſiniſtra clypeum tenens: vt adnotetur per hæc arma eum qui Ero ipſo amat: ſemper pro tuenda puella amata: promptum eſſe: per clypeũ tuendo: per gladium offendendo: cupidinemq; verberando atq; ſauciãdo. Aſſeruntq; hunc ortũ eſſe ex apolline ac minerua in horto veſtæ: ex Apolline quidẽ quoniã apollo is deus eſt: qui ſolus lucet: nã qui ERO amat: lucidum ac æthereum numen oſtendit ſe amare. ex minerua vero: quoniam qui ERO amat: virginitatem atq; pudicitiam in puella amata in primis exoptat. in horto autem veſtæ: quia ERVS pura

flama

ſlama eſt: quæ nunquam extinguitur erga puellam amatam. per veſtam enim nihil aliud poetæ intelligunt quam per ennem amoré: qui pura flama eſt: nõ fœdat neq; aliquo affecta pudore: Gemellus vero E R I: ἀντέρως eſt per omicron: nam quæ redamat: honeſta redamatione amare debet. Pateat igitur omnibus: quis Amor eſt quo te P H A V S I N A depereo. non enim Cupido qui fœdus amor eſt: nam qui ſic amat: vt Eſchines inquit omnia bona exoptat puellæ præter pudorem & mentem: Ego vero quia E R O te amo: (qui Cupidinem verberat atq; ſauciat:) ac vt Numen veneror: hæc in primis tibi cupio ac volo; A N T E R O Igitur rogo P H A V S I N A vt me deligas: hoc eſt honeſta redamatione: ſic enim ſeruabis id: quod mihi omnibus gratius eſt: videlicet animi illam dilucidam pulchritudiné ſemper affabilé cunctis: gratiſſimamq; numinibus: cum quibus vita ſempiterna tandem frueris. Deus enim optimus non ſatis præmii eſſe putans: quicquid in terris mortalibus tradi poteſt: puellas quæ pudicitiam atq; pudorem in amore ſeruauerint: ſempiterni æui participes facit: vt æterna ſecum vita fruantur. Hactenus de re Aulica. Salerni. . M . D . XXXIIII . Die . xxiiii. Aprilis.

AVGVſtinus Niphus Medicis Ioanni Franiſco Branchaleoni beneagere.

LIbellum de re aulica (Franciſce doctiſſime) quẽ PHAuſine nuperime dicauimus : tibi recognoſcendum mittimus : rogamuſq; vt ſiqua aut demenda aut addenda iudicaueris amice agas. vale. Salerni Mai .ii. M . D . XXXIIII.

IOANNES FRANCISCVS BRANCHALEO AVGVSTINO NIPHO MEDICIS

. S . D .

HVius Aurei Libelli (Niphe Philoſophotate) is eſt ſuorum numerorum concentus: ea armonia:vt ſi quid demam mutilem: ſi quid addam dehoneſtem : tantum ſe mihi ſuſpiciendum admirandumq; prebet: formans aulicum conſulis vrbibus: prouinciis: regnis . quid enim aliud eſt aula quam fons & origo omnium calamitatum noſtrarum : fœlices tua ſi hec dona norint aulici : bis fœlices Principes eorum opera:letoq; miniſterio vſuri:terq; quaterq; fœlix Phauſina : cuius forma tanto Philoſopho grata fuit: quæ cœleſti laudum Preconio ab obliuionis iniuria adſerta eſt . tantoq; Laura ac Beatrice beatior: quanto poetice Philoſophia : Niphus Philoſophis aliis eſt præſtantior. vale Neapoli. Mai . M . D . xxxiiii.

Index Capitulorum Primi libri

De Aula : Palatio : Curia atq; Atrio: Cap:I.
De circunſtantiis: quibus actiones Aulice intelligi poſſunt a virtute proficiſci. Cap:II.
Quæ Terentius de Aulico. Cap:III.
Refutatio qua demonſtratur vim habitumq; aulicū in adulatore: nō modo vitiū eſſe ſed peſtē. Cap:IIII.
Quod Aulicus omni ex parte ſine adulationibus aſſentationibuſq; officiū ſuū perficere nō poſſit. Cap:V.
Quæ apud vſum Principum de aulicis. Cap:VI.
Refutatio huius opinionis : & quouſq; concedi poteſt. Cap:VII.
Diomedis opinio de Aulico req; ipſa aulica. Cap:VIII.
Refutatio. Cap: ix.
Opinio quæ de Aulico habetur ex .viii. libro politicorum Ariſtotelis & de ocio principū. Cap: x.
Quæ de Aulico Neoterici. Cap: xi.
De Multiplici errore huius opinionis. Cap: xii.
De Re Aulica. Cap: xiii.
Vnde orta Aulicaria : & apud quos primo emerſerunt: & cuius gratia. Cap: xiiii.
De affabilitate : quæ eſt vna ex partibus aulicæ virtutis. Cap: xv.
De ſermonibus ac geſtibus affabilibus. Cap. xvi.
De placidis ac adulatoriis ſermonibus & geſtibus : qui ſine delectu ſunt. Cap: xvii.
Qui aſſentatores: adulatoreſq; fuerint. Cap: xviii.
De difficilibus ac contentioſis ſermonibus atq; geſtibus. Cap: xix.
Exempla ſermonū contentioſorū inſulſorū. Cap: xx.
Exempla contentioſorum ſalſorum. Cap: xxi.
Diuiſio Affabilium : adulatoriorum atq; difficilium ſermonum. Cap: xxii.
De locis Aulicis: quibus vitia obtegimus. Cap: xxiii.
De locis Aulicis : quibus virtutes Amplificamus. Cap: xxiiii.

De locis Aulicis affabilibus : atq; adulatoriis : qui ſumuntur aſimulato amore ; & primo ab imitatione. Cap:xxv.
Secundus locus ex eo : q̄ quiſpiam vinci profiteatur. Cap:xxvi.
Tertius locus a ſimulata loq̄ndi libertate. Cap:xxvii.
Quartus locus ablāda iucūdaq; placiditate. Cap;xxviii.
Quintus locus ab obſequiis. Cap:xxix.
Num colloquia amatoria aulicis cōueniant cū puellis: & demōſtratur q̄ ſic pluribus argumentis. Cap:xxx.
Reprobatio ſuperioris opinionis. Cap:xxxi.
Quæ Horatius de Aulicis amatoriis colloq̄s. Ca:xxxii.
Reprobatio huius opinionis. Cap:xxxiii.
Vſq; quo amatoria colloquia in aulis permittenda ſint. Cap:xxxiiii.
De Vrbanitate. Cap:xxxv.
De Riſu. Cap:xxxvi.
Non eſſe omnes æque ab ipſa natura aptos ad ridendum. & de effectibus riſus. Cap:xxxvii.
De gaudio : quod in omni riſu vt cauſa præſupponitur : & de mœrore vel mœſtitia : & de lætitia : & triſtitia : & de voluptate : & dolore : & de geſticulatione. Cap.xxxviii
Ex quibuſdam actibus humanis riſum fieri ex nonnullis vero non fieri. Cap.xxxix.
Quid ſit ridiculum generatim ſecundum Ariſtotelem. Cap:xl.
Cur ridicula inſtituta fuerint : & quidem genere : & locis varia. et de Aulicariis:ac Aulicis. Cap:xli.
Vnde Riſus fit. Cap:xlii.
De diuiſione ridicularium orationum rerum vel geſtuum. Cap:xliii.
De perſona mouente riſum & de ætate. Cap:xliiii.
De partibus aulici: & primo de nobilitate. Cap:xlv.
De pulchritudine Aulici. Cap:xlvi.
De litteris : Muſica: facultate pingendi : atq; de gymnica. Cap:xlvii.

De gratia quæ in aulico requiritur: & de ſermone au/
lico gratioſo. Cap:xlviii.
De ſermone frigido aulici. Cap:xlix.
De ſermone gratioſo in ſcurra. Cap:L.
De vrbanitate ſermonis Aulici. Cap:li.
Cur qui vrbanis ac affabilibus vtitur ad recreandũ prin
cipẽ: ſolus nomen aulici ſibi cõparauit. Cap:lii.
De Nitore Aulicorum. Cap:liii.
Vtrum loca ſcurrilitatum & vrbanorum accipi poſſint
de quibus ars eſſe poſſit. Cap:liiii.
De locis per genera. Cap:lv.
De locis per ſpecies: & primo de eis: quæ ſumuntur
ab ambiguo. Cap:lvi.
Secundus ab inexpectato. Cap:lvii.
Tertius locus ex addito. Cap:lviii.
Quartus ex deprauatione. Cap:lix.
Quintus ex nomine. Cap:lx.
Sextus ex ſimilitudine vocis. Cap:lxi.
vii Ab abſurdo. Cap:lxii.
viii Ex verbis aliter exceptis vel ex clauſularum op/
poſitione. Cap:lxiii.
ix Ab imitatione perſonæ. Cap:lxiiii.
x A ſub moroſo. Cap:lxv.
xi Locus e vocabulis. Cap:lxvi.
xii Locus ex tranſlatione. Cap:lxvii.
xiii Locus ex ſpecie corporis. Cap:lxviii.
xiiii Locus e fabula. Cap:lxix.
xv Locus ex morbo. Cap:lxx.
Locus xvi a ſimilitudine. Cap:lxxi.
xvii Locus ab accẽtu ſeu figura dictionis: Cap:lxxii.
xviii Locus a parẽtũ ſimilitudine retortus. Cap:lxxiii.
xix Locus a crudeli. Cap:lxxiiii.
xx Locus ab obliquo. Cap:lxxv.
xxi Locus ab intempeſtiuo. Cap:lxxvi.
xxii Locus ab interpretatione retorta. Cap:lxxvii.
xxiii A maiore. Cap:lxxviii.

xxiiii Locus a Talione. Cap:lxxix.
xxv Locus ab improba poſtulatione. Cap:lxxx.
xxvi Locus ab æquiuoco. Cap:lxxxi.
xxvii Ab honeſta voluptate. Cap:lxxxii.
De Scurrilitatibus Ridiculiſq; antiquor. Cap:lxxxiii.
Scurrilitates pogii atq; ludibria & quædam aliorum: Cap:lxxxiiii.
Iuniorum ſcurrilitates. Cap:lxxxv.
De ludibriis ac ludificatiöibus antiquor. Cap:lxxxvi.
Iuniorum ludibria. Cap:lxxxvii.

Index Capitulorum ſecundi libri.

Prima opinio de Muliere Aulica. Cap:primum
Refutatio poſitionis. Cap.ii.
Quod neque ſcurrilia neq; vrbana mulieribus conueniant. Cap:iii.
Quæ pars Aulica mulieribus cõueniat. Cap:iiii.
Quod affabilitas conueniat mulieribus & quotuplex ſit affabilitas. Cap:v.
Quod placiditas non ſit aulicis mulieribus improba. Cap:vi.
De amatoriis colloquiis i Aulicis mulieribus. Cap:vii
Exempla Affabilitatum aulicarum mulierum et primo earum quæ ſunt Quintiæ. Cap:viii.
Affabilitates non nullarum etiam puellarũ. Cap:ix.
Affabilitates PHAVſinæ. cap:x.
Affabilitates ab eodem excerptæ loco: quæ a quodam inſigni Equite:ac in rebus Aulicis maxime verſato: mihi relatæ ſunt: cuius epiſtola ad me hæc eſt: quæ ſubſcribitur. cap:xi.
Quæſitum PHAuſine de Amore meo: & de pictura: & ortu Cupidinis. cap:xii.

Neapoli Ioannes Antonius de caneto papienſis
excudebat Anno . M . D .
X X X I I I I .
Die . X X I I I I . Iulii.

1380-427